

II

CAROLUS SZRANT

REDEMPTORISTAE IN POLONIA DISPERSI
POST SUPPRESSIONEM CONVENTUS S. BENNONIS
AN. 1808

PRAEMITTENDA

Mense octobri eiusdem anni 1785, in quo professionem religiosam fecerunt (19 III, Roma) et sacerdotio aucti sunt (29 III, Alatri), S. Clemens (1) una cum amico suo fidissimo Thaddaeo Hübl (2) trans Alpes in patriam regressi sunt (3).

Cum tamen mox cognovissent, exercitium ministerii apostolici Congregationis in Imperio Austriaco tunc temporis impossibile esse, sub finem anni sequentis 1786 ex urbe Wien profecti sunt et mense februario 1787 in urbem Warszawa advenerunt (4). Ibi, favente Nuntio Apostolico Ferd. Saluzzo (5), et approbante Superiori generali Franc. de Paola (6), eodem anno assumpserunt curam spiritualem catholicorum germanorum in ecclesia S. Bennonis, cui orphanotrophium et schola annexa erant (7).

Patres nostri per decursum 21 annorum (1787-1808), laboraverunt in urbe

(1) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 2 (1954) 242 n. 26.

(2) HÜBL, Thaddaeus; *27 et bapt. 28 X 1761 Cermna in Bohemia, *ingressus est novitiatum* 24 X 1784 Roma-S.Giuliano, *vest.* a P.e Landi, *prof.* 19 III 1785 *ibid.* in manus RM de Paola, *sac.* 29 III 1785 Alatri, Rector in Warszawa ab an. 1796 usque ad mortem, † 4. VII 1807 Warszawa. — Cat. I 38^v, Cat. VI 7^v (*vest.*) et 2^v (*prof.*); AG IX B 30 (*Fides Baptismi* 25 V 1864, 7 epistulae ex an. 1805-1807 ad RM Blasucci et PG Giattini), AG IX A 1 (*epistula diei* 12 III 1806 ad RM Blasucci, *in qua petit dispositions Superioris generalis in casu mortis S.Clementis; responsum diei 20 IV 1806: « Meum est eligere unum ex vobis in Vicarium successorem R.P. Hofbauer post eius mortem. Si casus iste inopinatus accideret, sit Provicarius in loco defuncti Pater Thaddaeus Hübl, usquedum novum Vicarium ad nuncium mortis [verbum illegibile] elegerim ».* - Cfr MH VIII 221); *Mon. Hofb.* XV, Index 186; *Biographiae S. Clementis* passim.

(3) Tabula dierum in quibus principaliores eventus vitae S. Clementis evenerunt in *Spic. hist.* 1 (1953) 274.

(4) *Monumenta Hofbaueriana* [deinceps citantur MH] IV 143.

(5) Cfr J. HOFER, *Der hl. Clemens M. Hofbauer*²⁻³, Freiburg/Brsg. 1923, 55-56.

(6) MH VIII 12-13.

(7) MH II 29 ss., IV 1.

Warszawa cum visibili Dei benedictione, ast non sine crebris difficultatibus, sicuti patet ex documentis publicis, et sicut in biographiis S. Clementis, nec non in studiis peculiaribus sat numerosis legi potest.

Initio tamen anni 1808 in folio publico *Die Berlinische Zeitung* divulgabatur notitia expulsionis Redemptoristarum ex Graubünden (8). Haec notitia in manus comitis Alex. Potocki, in Ducatu Varsaviensi publicae securitatis administrari, pervenit et fuit initium actionis quae finem habuit cum expulsione Bennonitarum. Die 25 maii 1808 ab Imperatore Napoleone in Bayonne decisa est suppressio conventus S. Bennonis (9) et die 9 iunii decretum expulsionis signatum est in Pillnitz a Friderico Augusto, Saxoniae rege (10).

Communitas CSSR in Warszawa, anno 1786 tribus membris incopta: S. Clemente, Th. Hübl, Fratre Emmi. Kunzmann, an. 1808 constabat 37 membris, quorum nomina habentur in relatione a commissione regia in executione decreti expulsionis, die 17 iunii 1808 facta (11). Sunt sequentes:

- 1° Clément Hoffbauer Vicaire Général, natif de Moravie.
- 2° Charles Jestershein Supérieur de la Congregation, né en Saxe dans la ville de Gera.
- 3° Albert Schröter, natif de Varmie.
- 4° Jean Podgurski, natif du Département de Płock.
- 5° Charles Blumenau, natif de Villenberg en Varmie.
- 6° Valentin Langanki, natif de Varmie.
- 7° Michel Sadowski, natif du Palatinat de Cracovie, demeurant à Łutkowka.
- 8° Simon Schröter de Varmie, frère du N° 3.
- 9° François Kuliszynski, natif de Chełmno Département de Bromberg.
- 10° Vincent Sowiński detto.
- 11° Jean Appenceller né à Zurich en Suisse.
- 12° Jean Darewski, natif du Palatinat de Cracovie.
- 13° Jean Eglé né en Allemagne dans la forêt noire.
- 14° Théodor Woyciechowicz né à Chełmno, Département de Bromberg.
- 15° Joseph Gebel de la Silesie Prussienne.
- 16° Simon Maiewski de Bodzanow Département de Płock.
- 17° Casimir Langanki natif de Varmie, frère du N° 6.

Les Mineurs (12).

- 1° Mathieu Starck né en Suisse âgé de 21 ans et profès.
- 2° Ignace Sobociński né à Varsovie âgé de 21 ans, membre depuis 5 ans de la Communauté.

(8) Excerptum ex *Die Berlinische Zeitung* diei 30 I 1808 in MH VII 1. - Documenta de suppressione conventus S. Bennonis et de expulsione CSSR edita inveniuntur in MH VII.

(9) MH VII 26.

(10) MH VII 32-33.

(11) MH VII 72-73.

(12) Quinque ex his erant novitii - MH VII 84.

- 3° Philippe Greuber de Varsovie âgé de 22 ans et fort attaché à la règle.
- 4° Joseph Langanki né en Varmie, âgé de 19 ans et depuis 9 dans la Communauté.
- 5° Charles Moneta de Varsovie âgé de 23 ans, se trouve pour le moment à Lutkowka.
- 6° André Heck de Varmie âgé de 18 ans.
- 7° Léopold Grausgruber Hongrois a 21 ans.
- 8° Pierre Raczkowski né de la partie de la Lithuanie, qui appartient au Duché.
- 9° Albert Stechliński né à Kenty en Galicie, ex-bénédictin âgé de 28 ans.
- 10° Joseph Niedzwiedzki Lithuanien âgé de 28 ans.
- 11° Jean Czerny Bohémien âgé de 21 ans.

Frères laies.

- 1° Emmanuel Kuntzmann de Franconie.
- 2° Mathias Withalm Autrichien.
- 3° Nicolas Kozyński de Lenczyc.
- 4° Albert Kurkowicz de Varsovie.
- 5° Joseph Kowalski natif des environs de Czenstochow.
- 6° Alphonse Studziński du district de Błonie.
- 7° Martin Dembicki de Lithuanie.
- 8° Joseph Ježicki de Varsovie.
- 9° Jean Gerhard Wirtembergeois.

Die 18 iunii commissio regia iterum se ad conventum contulit una cum canonico Królikiewicz, delegato ad conficiendum inventarium proprietatis Bennonitarum eiusque curam gerendam (13). Congestis separatim noviciis annuntiatum est, quod in Warzawa remanere possent, si vestem Congregationis deponerent. Tantum unus, nomine Petrus Raczkowski, condicioni acquievit et in seminarium ad S. Crucis apud Lazaristas collocatus est (14). Tres iuvenes Patres, Ioannes Darewski, Franciscus Kulesiński et Simon Maiewski subscriberunt declarationem a commissione propositam de patefaciendis secretis Congregationis (15). Sed cum die sequenti, die dominica 19 iunii, interrogati sunt, responderunt se nihil scire (16).

Postridie, die 20 iunii (17) quinque religiosi in Warmiam (Ermland) profecti sunt: tres fratres Langanki (sacerdotes Valentinus et Casimirus, clericus Iosephus) cum patre eorum, ac Patres Carolus Blumenau et Simon

(13) MH VII 76.

(14) MH VII 76, 84.

(15) S. Clemens ad Ignatium Raczyński, archiep. de Gniezno, scripsit ex Kistrzyn 28 VII 1808: « Subscriptiones quae [...] exigebantur, conscientiae in omnibus contrariae erant » - MH VII 99.

(16) MH VII 78.

(17) Davoust ad Napoleonem, Varsovie 22 VI 1808, erronee habet diem 21 (hier matin) ut diem deportationis - MH VII 93.

Schröter. Alii 28 religiosi, qui tunc in urbe Warszawa erant, sex curribus in locum munitum borussicum Kistrzyn abducti sunt (18). Medio mense sequente iulio unusquisque in patriam abire iussus est et sic dispersio erat completa. « Nemo fratrum meorum jam reperitur Varsaviae ad S. Bennonem; nec permisum est patri in medio filiorum, nec fratribus simul esse » scripsit S. Clemens Nuntio Severoli (19).

Edem die 20 iunii, in urbem Warszawa reverterunt tres sodales ex Lutkowka: Adalbertus Schröter, Michel Sadowski et clericus Carolus Moneta, qui mox administro publicae securitatis traditi sunt (20), et pro paucis diebus collocati sunt apud Patres Carmelitanos in Leszno (21). Postea superior, utpote oriundus ex Warmia illuc redire iussus est (22), Pater autem Sadowski ut civis austriacus in Galiciam est deportatus, clericus demum Moneta in seminarium S. Crucis remissus.

Mirum videri potest, quod familia religiosa, tot membris constans et quidem tantopere zelo sancto ferventibus, post suppressionem sui conventus et expulsionem e territorio suae habitationis neque extra regionem prohibitam novam fundationem erexit nec ad aliam domum iam existentem confugit, et plus forse miramur quod superiores subditos suos non ad alias domos miserunt aut saltem paulo post illuc revocarunt. Hoc quo melius intelligatur in memoriam revocanda est externa rerum condicio, quae tunc temporis in Europa vigebat, simul ac condicio Instituti nostri.

Proprie an. 1808 potestas Imperatoris Napoleonis altissimum fastigium assecuta est. In Europa continentali sua voluntas tamquam lex valebat quasi ubique. Politica religiosa eius est satis cognita; multa monasteria et conventus suppressi sunt in toto territorio dominationis eius. Tempus ergo minime aptum ad novas fundationes religiosas (23). Accedit, quod fere ubique in Europa bella furebant iam a pluribus annis, antiqua regna ruebant, omnia a militaribus magistratibus moderabantur, nulla securitas, neque locus pro pacifico ministerio apostolico, neque facultas liberae communicationis.

I. NOTITIAE GENERALES

Primum tentamen restituendi vitam communem post dispersionem sodalium factum est in Pruszyn. Est vicus situs prope Siedlce in Podlasie, tum temporis pertinens ad dioecesim Lublin, sub ditione austriaca. Proprietas erat insignis benefictricis domus ad S. Bennonis atque devotissimae S. Clementis, Helena Chrapowicka, natae Sufczyńska, cuius maritus Iosephus egit castellanum de Mścisław ac mortuus est anno 1801. Fuit etiam oblata CSSR atque membrum secretae societatis A.C., i.e. Amicitiae Christianae(24).

Anno 1805, quando D. Helena consilium cepit exstruendi ecclesiam pa-

(18) MH VII 8r.

(20) MH VII 8r.

(22) MH VII 92.

(19) MH VII 113.

(21) MH VII 9r.

(23) Videtur S. Clemens, iam in Kistrzyn detentus, spem fundandi extra Poloniam fuisse - HOFER, o. c. 228.

(24) MH VIII 235 ss., IX 75 ss.

roeciale in suo praedio, eo accersivit P.em Carolum Jestershein qui erat habilis architectus, ad exaranda delineamenta huius fabricae ac postea aliquoties eum invitabat ad fabricam ecclesiae invigilandam. Etiam S. Clemens anno 1806 cum P.e Hübl ex suo longinquō itinere domum rediens, quoniam ob bellum inter Napoleonem ac Borussos exortum recta via in Warszawa regredi non poterat, gravi insuper infirmitate correptus, in Pruszyn divertit, ubi a die 2 XII 1806 usque ad diem 20 III 1807 sub assidua cura Dominae Héleneae commoratus est. Ibi, scribit P. Hübl, in sacello domestico cotidie a me cantatur Missa, partes chori explentur a P.e Hofbauer, clero Stark et domestico Francisco Sacker, socio itineris: « cela va très joliment » (25).

P. Jestershein, dimissus ex carcere Kistrzyn, se contulit in Pruszyn obtento itineris syngrapho a magistratu et a legatione austriaca in Dresden. D. Chrapowicka recepit eum tamquam capellatum suum et architectum ecclesiae construendae. In hac paroecia munus vicarii coadiutoris obibat P. Michael Sadowski, qui utpote civis austriacus, ex domo S. Bennonis expulsus, recta via in eam partem Poloniae, quae ab Austria occupabatur, est transportatus. Sed anno 1809, Austria a Napoleone devicta, illa regio vi tractatus pacis in Schönbrunn signati Magno Ducatu Varsaviensi unita est, unde ambo Patres iterum intra fines Magni Ducatus redierunt. Quod ubi primum comperit gubernium in Warszawa mox administer publicae securitatis gubernatori districtus Siedlce mandatum dedit, ut circa hos duos Bennonitas investigationem institueret. Hinc accurata facta est excussio tum Patrum tum D. Héleneae, necnon parochi localis D. Ziemiański. Exstat adhuc processus verbalis huius inquisitionis (26). Ut videtur, gubernium acceptis informationibus acquievit.

P. Jestershein nixus experientia, quam sibi tamquam moderator scholae publicae apud S. Bennonis comparaverat, rationem instructionis scholarum primiarum pro districto Siedlce exaravit, quae approbationem ac laudem magistratum obtinuit atque eorum sumptu ad usum publicum typis impressa est. Paulo post die 3 VII 1811 nominatus est visitator scholarum in eodem districtu. Postea anno 1817, quando in Congressu Vindobonensi suppresso Magno Ducatu Varsaviensi erectum est Regnum Poloniae vulgo « Kongresowe » (Congressuale) sub ditione imperatoris Russiae, P. Jestershein nominatus est inspector scholarum huius regni. Post quattuor annos vocatus est in Warszawa, ut instituendo generali seminario operam daret ac postea an. 1825 ibi munere procuratoris seu provisoris fungeretur. Mox tamen aetas proiecta atque infirma valetudo nec non habitatio humida sanitati nocua effecerunt, ut dimissionem huius muneris postularet. Ultimos annos transegit in nosocomio S. Rochi in Warszawa, cuius consilii tutelaris socius erat. Mortuus est in Kozłówka 24 IX 1844.

P. Jestershein, construens ecclesiam in Pruszyn, sperabat Congregacionem ibi mutata conditione rerum domum suam erigere ac dispersos suos sodales colligere posse. Quam spem confovebat S. Clemens scribens 22 IX 1815

(25) MH VIII 245-248.

(26) MH IX 74 ss.

Romam ad P.em Procuratorem Giattini ut pro hac ecclesia S. Nicolai easdem indulgentias obtinere vellet apud S. Sedem, quales possideret ecclesia CSSR Romae, « quia post tempus, quo restitutus erit órdo publicus in Polonia, probabiliter ecclesia ista fieri potest ecclesia nostrae Congregationis » (27). P. Jestershein praeterea anno 1811 nominatus est tribunus communitatis Pruszyn atque laudabiliter hoc munere fungebatur annis 1812-1815, quo tém-
pore exercitus frequenter per locum cursitabant, unde paupercula plebs con-
tinuo efficaci protectione indigebat.

Quod autem ab eo summam cordis ac mentis contentionem requisivit, quamvis denique inaniter et infructuose, fuit processus, quem instruxit et per plures annos acerrime egit, ad vindicanda bona domus S. Bennonis. Decretum expulsionis Bennonitas iure proprietatis non privabat; sub nr. 11 enim dicitur: « qu'ils aient la liberté d'emporter leur propriété individuelle » (28). Unde PP. Hofbauer, Jestershein, Podgórski ante suum profectum die 19 VI 1808 iussu gubernii tamquam procuratorem suum delegarunt canonicum Adamum Królikiewicz, designatum a curia Varsaviensi. Ex parte gubernii ad investiganda credita activa et passiva Bennonitarum, ad confi-
ciendum inventarium et custodienda bona immobilia scholae, ecclesiae et domorum constitutus est procurator Fredericus Bacciarelli, filius celebris pictoris aulici regis Stanislai. Ambo commissarii bona consumptibilia sub hasta vendiderunt, deposita a fidelibus conventui commissa restituerunt, bibliothecam pretiosam 6000 voluminum archivario urbis Briesenmeister conser-
vandam tradiderunt, de quibus accuratae habentur relationes.

De quibus certior factus P. Jestershein ex Pruszyn ad can. Królikiewicz scripsit, ut ipsi a gubernio facultatem impetraret, qua munitus in Warszawa causam suam agere posset. Hanc tamen licentiam non obtinuit. Interim domus ad S. Bennonis, occupata a manipulo militum gallicorum, haud parvum damnum passa est. Ecclesiam, clausam per decretum regale, gubernium in archivum municipale convertere intendebat. Inde longum commercium epistolare inter administrulos et regem. Administer Łuszczewski, inique fretus constitutionibus Instituti de voto paupertatis, in sua relatione sustinere non verebatur, Bennonitas suppressa domo omne ius ad bona tam mobilia quam immobilia perdidisse. Rex verum talem decisionem reiecit urgens tenorem decreti cassationis atque decretivit, ut personalis proprietas Bennonitarum illis resti-
tueretur; quoad vero ecclesiam et domum, ut administer proponeret ad qualem usum eas destinare cogitaret. Post longum adhuc commercium litterarum inter singulos magistratus tandem P. Jestershein invitatus est, ut elen-
chum bonorum restituendorum praesentaret. Fecit hoc non solum suo no-
mine, tamquam procurator ac rector suppressi collegii, sed etiam nomine P.is Sadowski, cooperatoris in Pruszyn, P.is Podgórski, cooperatoris in Radzymin, P.is Majewski cooperatoris in Kutno. Qua occasione postulatum est mandatum delegationis Vicarii generalis P.is Hofbauer, sicuti peractum

(27) MH VIII 139.

(28) MH VII 99 ss., IX 67 ss., X 204 et 208.

est a S. Clemente coram magistratu municipali in Wien die 17 XII 1811. Quibus perpensis, decretum liquidationis P.i Jestershein traditum est.

Sed nondum finis. Auctoritas publica etenim postulabat, ut Bennonitae solverent expensas quas ipsorum deportatio ex Warszawa in Kistrzyn attulerat, quae secundum computationem administrari numm. 14177 comprehen-debant; immo expensas a magistratibus in administrandis bonis impensas. Sed P. Jestershein non consensit et res iterum dilata est. Interim ortum est bellum inter Napoleonem et Russiam. Sequitur clades Napoleonis, finis Ducatus Varsaviensis, erectio Regni Congressualis. Nova condicione politica creata a Congressu Vindobonensi, P. Jestershein libellum supplicem misit ad Imperatorem Alexandrum ex Warszawa 17 XI 1815 petens, ut Bennonitae ab obligatione solvendi summam supra indicatam pro expensis expulsionis liberarentur. Imperator petitioni annuit. Hac quidem via Bennonitae a solvendis expensis liberati sunt, sed non licuit ipsis in domum suam ad S. Bennonis redire.

II. DE SINGULIS PATRIBUS IN DISPERSIONE PERMANENTIBUS

Communitate ad S. Bennonis dispersa, sodalibus moraliter impossibile erat novam domum invenire atque ad vitam communem sese restituere. Nulla etenim ex quatuor ditionibus, quibus hoc tempore Polonia subiacebat, talem facultatem praestabat. Non gubernium borussicum, nec russicum, nec austriacum, nec gallicum, quod Bennonitas ex sua ditione expulerat. Unde qui ex Warszawa in patriam vi deportati sunt, necessitate coacti inter clerum dioecesanum adnumerari voluerunt, quamvis corde semper redemptoriani persistere censerentur.

Primo loco enumerandi veniunt illi, qui non simul cum S. Clemente in Kistrzyn, sed in Warmiam relegati sunt, nempe PP. Carolus Blumenau, Simon Schröter et tres fratres Langanki una cum eorum patre Andrea.

P. Carolus BLUMENAU

Natus quidem in Warmia anno 1776 sed ab incunabulis in Polonia educatus et quidem in Warszawa, ubi mater eius stabile domicilium habuerat, Carolus Blumenau ibidem anno 1795 ingressus est in Congregationem SS. Redemptoris. Exstitit egregius praedicator pro Polonis apud S. Bennonis usque ad domus suppressionem. In Warmiam deportatus munere cooperatoris paroecialis perfunctus est in vico Dywity, distr. Olsztyń (29). Invisens omni anno matrem suam in Warszawa commorantem, invitatus est a Confraternitate S. Bennonis, ut in metropolim remigraret et munus capellani huius confraternitatis simul ac rectoris ecclesiae ex-iesuiticae susciperet. Cui invitationi obsequens ac superatis omnibus obstaculis ex parte magistratum provenientibus, mense februario an. 1815 in Warszawa revenit. Sed

(29) MH I 86.

non diu ibi permansit, quoniam cum supradicta confraternitate pacifice collaborare non valuit. Quapropter beneficium cum cura paroeciali in Nowe-Miasto postulavit atque obtinuit. Ibi per 22 annos laudabiliter munere pastorali functus, victima pestis (cholera) obiit 22 VIII 1837.

Tres fratres LANGANKI

Tempore dispersionis aderant in domo ad S. Bennonis tres fratres Langanki una cum patre eorum Andrea, qui omnes in patriam, scilicet in Warmiam transportati sunt.

P. Iosephus Langanki, minimus natu an. 1789, tempore expulsionis novitius erat. Receptus deinde in seminarium dioecesanum Warmiense, ac eidem dioecesi incardinatus, sacerdotio auctus fuit anno 1812. Obiit parochus in Braunsvalde die 17 XII 1838.

P. Valentinus Langanki, maior natu, in Seeburg natalia habuit an. 1777; professus an. 1796 ac presbyter ordinatus apud S. Bennonis an. 1800, ibidem fungebatur in schola Bennonitarum munere professoris. De eo visitator borussicus ex Berlin missus ad inspiciendam scholam, Fredericus Gedicke, anno 1802 referebat, P.em Valentini pueros germanicos docere, quia linguam polonicae non multum calleret, sed muneri suo non bene satisfacere. De eodem tamen S. Clemens in relatione ad curiam Varsaviensem scripsit anno 1800: «Linguas callet tres, in scientiis philosophiae et theologiae bonos facit progressus» (30).

Expulsus ex Warszawa rediit in Warmiam. A die 26 III 1823 praefectus est paroeciae Neukockendorf. Annos 76 agens, vitam cum morte repentina commutavit die 14 VI 1853 in conclavi magistratus civilis in Olsztyn, quo ad negotia tractanda sese contulerat (31).

P. Casimirus Langanki, de quo plures habentur notitiae, natus est die 9 II 1781. Anno 1803 S. Clemens, tunc temporis degens in Jestetten, una cum P.e Passerat accivit eum ex Warszawa ad se, ut sacerdotio augeretur, quia hoc ibi propter praescripta gubernii borussici impossibile evaserat. Ex monte Thabor una cum S. Clemente et P.e Hübl et duobus aliis sociis ordinandis Francisco Hofbauer et Ioanne Sabelli iter fecit in Italiam ibique in nostro collegio in Spoleto sese per aliquot menses ad ordines praeparavit. Presbyter ordinatus in Foligno die 23 X 1803, reversus est in montem Thabor ibique una cum duobus aliis neomystis pro auditione confessionum approbatus iuvenilem zelum egregie demonstravit (32).

Anno 1804 in Triberg translatus est. Sed iam S. Clemens iram ordinarius Constantiensis, ad quem Triberg pertinebat, excitaverat eo quod sine ipsis venia, utens privilegio apostolico, clericos suos alibi ordinare fecerat. Hinc factum est, ut Wessenberg, Vicarius generalis de Constanza, quosdam patres ab exercendo munere sacerdotali suspenderet, alios, in quorum numero Casimirum Langanki, severissimo examini in universa theologia sub-

(30) MH I 85.

(31) Ibid.

(32) Ibid.

mitteret. Refert examinator dioecesanus, illum ex tribus examinandis (alii erant Franciscus Hofbauer et Joannes Biedrzycki) meliorem fuisse, insufficierenter tamen instructum scientia necessaria comparuisse ideoque neque ad praedicandum neque ad confessiones excipendas capacem fuisse iudicatum; quamobrem una cum suis sociis ab omni sacerdotali functione privatus est et duos annos suspensus remansit. In libro celebrantium illius sanctuarii haec inveniuntur : « Patres de SS.mo Redemptore, qui anno 1805 die prima mensis 9bris ab omni actu et exercitio ordinis fuerunt suspensi, per totius anni huius [1806] decursum, excepto agno, quo cibati sunt, paschali ad sacram mensam vel communionem nunquam accessere; et nihilominus tamen ipsorum sanctitas a Trimontanis quam plurimum commendatur » (32^a).

Denique refugio provisorio in Helvetia invento, P. Passerat Patres ex Triberg, quos inter P.em Casimirum, in Babenhausen advocavit, unde Helvetiam peteret. Idecirco P. Langanki partes habuit in celeberrima illa expeditione, quae duce P.e Passerat parvipendens ineffabiles tribulationes ac molestias, inter montes Helvetiae tutum sibi domicilium quaerebat. En quae in chronicis domus Freiburg sub die 25 V 1807 enarrantur : « P. Rector Passerat cum Casimiro Langanki per montes celsissimos et praeruptas semitas horrendum in modum periculosas in Valesiam contendit, ut ibi pararet asylum. Nec defuit divinae providentia pietatis, dives omnibus invocantibus se : benigne enim sollicitum patrem nostrum (ne anxiam matrem dicam) suscepit R. D. Adrianus de Courten, parochus Vespiiæ [Viège]... ». Et paulo infra sub die 13 VI notatur « P. Rector redux e Valesia solus Curiam [Chur] venit; reliquit enim Vespiæ P. Casimirum Langanki ». Et 5 IX : « Langan-ki Curiam venit et inde Varsaviam profectus est. Advenit etenim 2 VIII tristissimus nuntius ex Varsavia : tres Patres [Hausner, Vannelet, Hübl] decursu unius hebdomadis morte gloriosa obiisse, peste infectis in nosocomiis militibus solatia religionis administrantes. Parochus de Courten P. Casimirum tantopere aestimavit, atque eius ministerio adeo contentus erat et adamavit, ut eius translationem aegerrime ferret : indignatus voluit etiam alios Patres remittere atque non nisi omnium virium contentione a P. Passerat placari potuit » (33). De ipso scripsit P. Passerat ad S. Clementem mittens eum in Poloniam : « J'envie au R.P. Casimir son bon esprit » (34).

Post suppressionem S. Bennonis an. 1808 in clerum dioecesanum dioceseis Warmiensis receptus, institutus est parochus die 15 III 1832 in Bischofstein, ubi ab anno 1824 ut vicarius cooperator adlaborabat. Ibi fundavit ex suo patrimonio et ex familiae donatione sic dictam « praebendam » pro aliquo sacerdote, ob proiectam aetatem sive propter debilitatas vires ad munus paroeciale obeundum inhabili redditio. Vocabatur illud beneficium « Langanki - Hollstein ». Mortuus est tamquam parochus in Bischofstein die 9 II 1847.

(32a) Cfr Ed. Hosp, *Der hl. Clemens M. Hofbauer in Triberg: Spic. hist.* 3 (1955) 424 ss.

(33) MH VI 160, VIII 112.

(34) MH VIII 161.

P. Michael SADOWSKI

Iam supra narravimus P. Michaelem Sadowski, utpote civem austriacum, an. 1808 non in Kistrzyn, sed ad confinium Austriae a custodibus securitatis publicae conductum esse. Iter faciens in patriam suam, divertit in Pruszyn et a D. Chrapowicka benigne receptus mansit ibi ut cooperator paroeciae. Etiam ipse perquisitiones gubernii passus est. Exstant acta huius inquisitionis, ex quibus quaedam notitiae de eius vita hauriri possunt. Natus anno 1777 in Cieszkowy, in pago paroeciae Probołowice dioec. Sandomirensis, adolescens 16 annorum studiorum causa venit in Warszawa et ingressus est Institutum apud S. Bennonis. Versus annum 1796 ad vota admissus, anno circiter 1800 sacerdos ordinatus est. De ipso scribit S. Clemens: « Callet tres linguae; in philosophia mediocres, in theologia egregios fecit progressus; habet talentum concionandi » (35). Post tres annos mittitur in Łutkówka, tamquam vicarius cooperator P. Schröter, ubi permanxit usque ad expulsionem, scil. ab an. 1803 usque ad 1808.

Paucis diebus post expulsionem sodalium ex S. Bennone, etiam tres religiosi in Łutkówka, nempe PP. Schröter et Sadowski nec non clericus Moneta, detenti sunt; primum collocati in conventu PP. Carmelitarum apud Leszno, postea in patriam remissi. P. Sadowski receptus est ab episcopo Podlachiensi (Siedlce) tamquam vicarius cooperator in Pruszyn ibique postea munere parochi fungebatur. Id saltem eruitur ex epistola S. Clementis die 22 IX 1815 data ad nostrum Procuratorem Romae residentem, in qua pro ecclesia paroeciali in Pruszyn indulgentias expetivit sicut supra dictum est (36). Quae epistola etiam eam ob causam momentum suum habet, quod per se ipsa probat S. Clementem sodales in Polonia dispersos tamquam membra Congregationis habuisse, nec non ope comitissae Chrapowicka eiusque familiæ commercium epistolare cum suis subditis conservasse (37).

P. Sadowski tamquam parochus in Pruszyn quinquagesimo secundo aetatis suae anno mortuus est die 18 XII 1829, sepultusque in eadem ecclesia S. Nicolai, ubi postea locum invenit etiam P. Jesterhein an. 1844. P. Passerat certiorem faciens P. em Generalem Cocle de eius morte, solita suffragia pro eo expostulat: « E' morto in Polonia P. Michael Sadowski, uno dei soggetti i più anziani e degni della Congregazione. Ha conservato sino alla fine la grazia della vocazione e prego V.P.R. di volere benignamente far fare i soliti suffragii » (38). Quod documentum tanto maioris momenti est, quod agitur de morte alumni Congregationis a viginti annis extra communitatem commorantis et quidem eo tempore, quo iam a P.e Podgórski in Piotrkowice erecta domus religiosa existebat. Unde concludere licet a fortiori tamquam membra Congregationis habendos esse eos, qui antea in dispersione mortui sunt atque in talibus conditionibus vivere cogebantur, ut neque contactus cum aliis nostris domibus inire potuerint neque occasionem arripere transeundi in aliam Instituti provinciam. Moraliter enim haud erat possibile conamina similia refovere.

(35) MH IV 148.

(36) MH VIII 139.

(37) MH VIII 139, IX 353.

(38) MH IX 356.

Duo fratres SCHRÖTER

P. Adalbertus Schröter natus est in Roesel, dioecesis Culmiensis versus annum 1772. Adolescens viginti annorum in Warszawa advenit Congregationem ingressurus. Professionem emisit sine iuramento perseverantiae anno 1793. Post duos annos ad diaconatum promotus ac postea ad presbyteratum. S. Clemens ad curiam Varsaviensem de eo referens laudat eum tamquam bonum confessarium. Calluit tres linguas et professor erat rhetoricae (39).

Anno 1802 missus est a S. Clemente in Lutkówka, ubi tamquam parochus remansit usque ad annum 1808, quando simul cum sodalibus apud S. Bennonis expulsus est ex Ducatu Varsaviensi ad confines Borussiae. Mox tamen in Polonię rediit ad suum patruelē Salesium Schröter, parochum in Wierzbółów, dioecesis Augustów seu Sejny. Ibi explebat munus vicarii cooperatoris et praceptoris in schola. Post mortem patruelis in eius locum successit 1820. Tribus elapsis annis invenimus eum in Olvita munere vice-decani fungentem. Denique decanus in Wierzbółów comparet, ibique obiit die 12 V 1839.

P. Simon Schröter vero ortum habuit anno 1777 (?) in pago Robaven in Warmia. Tenerrima aetate ingressus Congregationem emisit vota anno 1796, iam ad subdiaconatum promotus (40). Secundum relationem supra memoratam S. Clementis ad curiam Varsaviensem « medioris est ingenii, linguas callet tres, in philosophia et theologia mediocres nonnisi facit progressus, aptus tamen est ad informandam iuventutem in rudimentis ». In elencho personali conventus anni 1807 apparebat tamquam praefectus orphaniorum. Post dispersionem in Warmiam se contulit (41). Anno 1836 curam pastoralem exercebat in sanctuario Świętalipka (Heiligenlinde) dioec. Warmiensis. Mortuus est 22 I 1839 ut administrator paroeciae Legienen.

P. Franciscus Salesius KULESIŃSKI

Natus 28 I 1779 in Chełmno dioecesis Culmensis, ibique studia humana absolvit. Ingressus in Congregationem SS. Redemptoris in Warszawa an. 1797, non nisi an. 1801 ad professionem accessit propter leges gubernii borussici, quae votis religiosis obstabant. In elenco exarato pro curia dioecesa notatur ut magister iuventutis scholaris. Presbyter ordinatus an. 1802, docuit in schola nostra religionem usque ad communitatis expulsionem. Simul tamen in ecclesia ministerium sacerdotale exercebat. Videtur quidem in arte rhetorica excelluisse. Nam eius rector P. Hübl ita de eo scribit ad suum vicesgerentem : « Je dois rappeler ici, que le P. Kulesiński pourrait occasioner des avantages par ses sermons, s'il était d'abord 1. plus humble, 2. plus penetré pour lui-même, 3. s'il prêchait la parole de Dieu avec plus de douceur et d'amour et pas tout pour lui-même, 4. s'il se gardait de prononcer des expressions populaires ou des mots offensants des oreilles chastes, 5. qu'il s'abstienne de nommer jamais sur la chaire les mauvais ennemis ou

(39) MH I 33, X 187.

(41) MH I 86.

(40) MH II 37, IV 148, VIII 52 ss.

les Bennons, 6. s'accoutumer à ne prêcher que sur Jésus Crucifié... ». Quae adhuc confirmantur verbis P. is Woyciechowicz, quae inveniuntur in epistola ab eo data ad publicae securitatis administrum die 24 IX 1808 : « modum concionandi non esse a superioribus, utpote contrarium spiritui Instituti, approbatum » (42).

In actu suppressionis conventus ad S. Bennonis primum quidem subscripsit declarationem a gubernio impositam existimans se tali pretio in Warszawa remansurum esse. Sed quando postea interrogatus fuit de secretis Congregationis a magistratu, respondit se nihil scire : « De ne rien savoir et de n'avoir rien à dire »; unde simul cum aliis deportatus est. Morabatur per aliquod tempus in Chełmno et inde cum suis confratribus reclamavit a gubernio satisfactionem pro inflictis iniuriis ac vindicare non desiit bona sibi ablata, at sine ullo fructu. Anno 1811 nominatus est administrator paroeciae Grodzicznę dioecesis Culmensis, et anno sequenti parochus renuntiatus, ibidem commoratus est usque ad mortem, quae die 12 XII 1828 ibique incidit.

P. Vincentius (Iosephus ?) SOWIŃSKI

Natus est 25 VIII 1778 in Chełmno dioecesis Culmensis ibique studia humaniora peregit et anno 1797 in Warszawa apud S. Bennonis ingressus est. Anno 1800 cum licentia gubernii professionem religiosam fecit. In relatione pro curia Varsaviensi exarata S. Clemens ita scribit : « Tres linguas callet, laudabiles facit progressus in philosophia et theologia, aptus pro confessionibus et pro docendis litteris humanioribus ». Sacerdos ordinatus an. 1801, octo annos magistrum egit iuuentutis in schola nostra simulque collaboravit in cura animarum, praesertim in nosocomiis militum tempore pestis etiam cum dispendio valetudinis ac vitae.

Tempore suppressionis conventus, cum iniquam declarationem a magistratu expetitam subscribere ac iuramentum impium facere recusaret, una cum socio P.e Woyciechowicz ad S. Clementem in Kistrzyn expulsus et inde postea in patriam remissus est, quibuslibet necessariis ad vitam alendam orbus. Apud sororem suam commorans iteratas litteras misit ad auctoritatis publicae administratos in Warszawa immo ad ipsum regem Saxoniae, una cum suo sodali P.e Woyciechowicz postulans, ut finis poneretur calumniarum, quae a foliis publicis in Warszawa divulgabantur contra Bennonitas atque impediebant, quominus ab episcopo ad servitium dioecesanum admitti possent. Praeterea ut ipsis daretur facultas in metropolim redeundi necnon apud propinquos auxilium implorandi et ab administratore ipsis optime noto pro ministerio sacerdotali pagellam recipiendi. Ad haec ut ipsis restitueretur proprietas in primis bibliothecae tantopere necessariae. Sed in vanum. Tandem an. 1813 clero Culmensi aggregatus est ac nominatus administrator paroeciae Sarnowo, postea parochus. Sed anno 1821 a gubernio depositus est. Post annum vicarius cooperator primum in Chełmża, postea an. 1825 in Li-

(42) MH I 86, II 37, VII 65, VIII 230, IX 37.

sewo nominatus, denique parochus in Wąbrzeźno institutus, ubi phtisi corruptus vita decessit die 29 XII 1829 (43).

P. Theodorus Valentinus WOYCIECHOWICZ

Natus die 11 II 1784 in Chełmno, invenitur in elenco novitiorum apud S. Benonis anni 1802. P. Hübl in epistola ad PG Giattini datam an. 1806 depositus in eius beneficium dispensationem pro ordinatione sacerdotali ex defectu aetatis 23 mensium. Octo annos in instituto ad S. Benonis docebat mathesim, scientias naturales, nec non philosophiam ac theologiam. Praeterea munus capellani gerebat in nosocomiis militum gallicorum et auxilium praestabat in ecclesia nostra. Quoniam noluit subscribere impiam declarationem a magistratu porrectam, deportatione multatus est cum aliis in Kistrzyn, inde postea in patriam redintegratus sed absque ullo medio sustentationis. Ex Chełmno una cum socio expulsionis P.e Sowiński statim plures scripsit epistolas ad episcopum Zacharyasiewicz, ad canonicum Królikiewicz, ad magistratus in Warszawa, immo ad ipsum regem Fredericum Augustum, viriliter respuens calumnias sparsas a diurnali *Gazeta Warszawska* contra Bennonitas, atque ex opposito conclamans ut ipsi restituerentur patrimonium ablatum, libri, instrumenta physicalia ac musicalia, et permitteretur in Warszawa adire ad visitandos propinquos nec non ad obtinendam incardinationem dioecesi Varsaviensi ab ordinario optime sibi noto. Nihil tamen obtinuit.

P. Passerat ex Helvetia scripsit ad S. Clementem in Wien commorantem, ut ad docendam physicam ipsi mitteret P.em Woyciechowicz, quem bene noverat ex Warszawa. Sed hoc ob conditionem politicam tum fieri non potuit. Hinc necessitate compulsus acceptavit munus rectoris scholae mediae municipalis in Chełmno, cui regendae sese addixit usque ad annum 1814. Postea promotus est ad munus secretarii Capituli Cathedralis in Chełmno et simul parochus nominatus in Chełmża, ubi obiit die 10 IV 1817. Sepultus est ibi in ecclesia paroeciali, postea occupata a protestantibus, at noviter cultui catholico restituta (44).

P. Iosephus GOEBEL

Iam anno 1803 admitti gestiebat in familiam alfonsianam apud S. Benonis, sed a gubernio borussico permissio est denegata. Borussis tamen ex Warszawa expulsus, ad professionem et ordines sacros adscribi festinavit, quia invenitur in elenco communitatis anni 1807 tamquam sacerdos docens mathesim, linguam germanicam, grammaticam atque rhetoricam. Post expulsionem se contulit in Silesiam. In elenco, quem P. Passerat post mortem S. Clementis an. 1820 misit Rectori Maiori Mansione, nomen eius adhuc retinetur, at locus commorationis ignoratur (45).

(43) MH I 85, II 41, III 71 ss., IV 149, IX 31 ss.

(44) MH I 86, II 41, III 72, VIII 224, IX 29 ss., XIV 181, VII 120.

(45) MH I 86, II 28, III 71, VIII 156, XIII 251.

P. Andreas Heck

Ad manipulum discipulorum S. Clementis ex Warmia oriundorum pertinet quoque Andreas Heck, cuius nomen in elenco familiae Bennonitarum anni 1808 reperitur inter clericos studentes. Inde exire iussus, atque in sua dioecesi Warmiensi ordinatus sacerdos, munia paroecialia obiit in Purden 1835-1845 et postea in Süßental 1843-1852 (46).

III. DE DOMO IN PIOTRKOWICE A PATRE IOANNE PODGÓRSKI FUNDATA, 1824-1834

I. Notitiae biographicae de P.e Podgórski usque ad fundationem.

Inter sodales, qui post dispersionem communitatis S. Bennonis in Polonia restiterunt, particularem attentionem meretur P. Joannes de Dukla Podgórski, qui prae aliis S. Clementi carus et Congregationis amantissimus, donis naturalibus ac virtute et meritis insignis fuit (47).

Natus est die 11 VII 1775 in Brewki, pago pertinente ad paroeciam Zaremba Kościelne, dioecesis Płock, prope Warszawa, ex patre Francisco et matre Hedwigis Kempisty. Duodeviginti annos natus a S. Clemente in novitiatum apud S. Bennonis receptus est. Fuit igitur prima vocatio polonica. Vota emisit die 23 I 1794 et ad sacerdotium promotus est die 10 VI 1797. Sed iam ut diaconus, immo acolythus, primus Redemptorista polonus lingua polonica concionari incepit apud S. Bennonis et subito suis praedicationibus quamdam celebritatem in urbe sibi comparavit. S. Clemens in litteris ad RM Blasucci (48) virtutem eius, zelum, ingenium laudibus effert, eum ut suum successorem designat, atque magistrum novitiorum et praefectum clericorum nominat, quae munera per quattuor annos obivit. P. Sabelli refert P.em Podgórski duo opuscula S. Alfonsi in linguam polonicam vertisse: *Visite del Ss.mo Sacramento et L'amore delle anime*. Quantu S. Clemens habuerit P.em Podgórski elucet ex testimonio ab eo exarato ad instantiam S. Sedis, quando agitabatur Romae promotio P.is Podgórski ad sedem archiepiscopalem in Sofia respective Bucarest (49), quam vero dignitatem ipse promovendus acceptare noluit: « Vir specialis innocentiae et pietatis, erga superiores summa reverentia et perfectissima oboedientia omnibus plane admirabilis, amator et custos paupertatis evangelicae assiduus, propriae voluntatis omnino expers, Spiritu vero apostolico adeo plenus, ut per plures annos singulis ac integris diebus confessiones excipiens fidelium singulisque diebus concessionem ad populum Varsaviae habens, pene innumeros ac magnos peccatores in viam salutis perduxit, plerumque totam ecclesiam in fletus solvebat, tantumque vini in animos peccatorum habuisse censebatur, ut eum omnis conditio hominum pro missionibus exoptasset. Ceterum in vita communis semper sibi constans, erga seipsum severus, affabilis erga alios, in

(46) MH III 75, VII 74, X 258.

(47) MH V 121, VIII 38 et 52, XII 235.

(48) MH II 3, III 38, VIII 115.

(49) MH V 121 ss.

mortificationibus, humiliationibus, disciplina regulari, silentio, oratione et aliis pietatis exercitiis fere omnes vincit exemplo, ac proinde ut vir vere apostolicus ad subeundos maiores pro Dei gloria saluteque animarum labores non immerito a me in conscientia commendatur » (50).

Verba haec scripta sunt 7 annis post expulsionem, quando in Kistrzyn claro discipulo pro semper S. Clemens valedixit. Si ergo 5 annis ante suam mortem Sanctus in re gravissima, conscientiam valde onerante, votum tantopere gloriosum ad S. Congregationem Romanam composuit, concludere licet notitias, quas de P.e Podgórski ex Polonia intra hoc tempus receperat, minime altam de illo opinionem mutasse. Quam suam existimationem de suo alumno Sanctus confirmat in epistola data paucis post diebus ad Cardinalem Litta, Praefectum S.C. de Propaganda Fide sub die 29 III 1815: « P. Podgórski, quem per litteras nuperrime testatus sum fore aptissimum Bulgariae, etiam pro Valachia non minus aptum esse iudico » (51). Ipsi persecutores eum maiori honore dignum esse existimabant, quando una cum Vicario generali ac domus rectore speciali vehiculo ac celeriori cursu eum in Kistrzyn deportaverunt.

Ex Kistrzyn in patriam remissus mox ad laborem apostolicum sese accinxit in paroecia Radzymin dioecesis Lublin, ab ordinario vicarius cooperator nominatus. Mox relationem de nostris dedit, litteras scribens ad PG Giattoni Romam die 12 X 1808, paucis mensibus post expulsionem: « Forsitan iam nota est Ill.mo D.no nostra dispersio in Principatu Varsaviensi, ita permittente Deo O.M. Postquam nostri in variis locis exercent penes ecclesias paroeciales munus vicariorum, et curant possibili modo vocationi suae satisfacere, usquedum placuerit Domino, iterum nos congregare in unum. Unum est quod rogarem Ill.um Dom.: si habeat aliquas notitias de fratribus nostris in Germania etc., de his qui abhinc abierunt in Germaniam, ut me certiore reddat. Pater noster Vic. gen. Hofbauer credo, quod sit Viennae in Austria. P. Rector [Jestershein] est hic non procul a me » (52).

Post quinque annos in Radzymin transactos episcopus de Lublin, magni faciens egregias qualitates vicarii, eum nominavit parochum in Cygów et dignitate canonici Lublinensis insignivit. Post 7 annos (1821) a P. Passerat advocate, beneficium resignavit et in Wien se contulit ibique usque ad annum 1824 permansit (53).

Ex tempore dispersionis an. 1808 desunt quidem vestigia commercii epistolaris inter S. Clementem et P.em Podgórski, quod perpensa condicione rerum politicarum admirationem movere non debet. Valde tamen probabile est aliquot communes amicos Bennonitarum ex nobilitate polonica urbem Wien visitantes notitias utiles de P.e Podgórski S.o Clementi communicare potuisse. Ita v.g. refert sacerdos Stanislaus Chołoniewski in suis memoriis, quod cognatus eius comes Nicolaus Grocholski, cognovit in Wien Zachariam Werner et Clementem Hofbauer; unde natum est consilium dispersos

(50) MH IX 352.

(51) MH XIV 9.

(52) MH VIII 266.

(53) MH IX 113.

Patres colligendi in proprietate comitis Grocholski in Janów Podolski, ibique domum religiosam fundandi. Ad melius inspiciendam propositam foundationem Werner iter fecit in Podole, ibique an. 1816/17 ad hunc finem tractationes incepit. S. Clemens cum iuvenili ardore huic proposito adhaesit et promptus erat ipse eo proficisci et Patres ex Polonia et Helvetia accire. Et quamvis se obligasset ad suscipiendam missionem in Bucarest, nihilominus respondit comiti Grocholski se foundationem in Podole omnibus aliis anteferre. Ita Werner ad Grocholski: « Noch nie habe ich unseren hochw. Vater Hofbauer ein Projekt mit so inniglich jungendlicher Freude möchte ich sagen ergreifen gesehn als dieses ». Idem ostendit epistola S. Clementis ad Emissariam Chołoniewska diei 28 V 1818, qua non sine quadam impatientia sollicitat responsum, ut cum suis sociis Werner et P.e Joanne [Sabelli] iter facere possit ad novam foundationem aperiendam. Vult ex Helvetia revocare PP. Biedrzycki et Koziński. Ad P.em Podgórske scripsit, ut se transferret in Janów (54).

Sed proh dolor, quamquam omnia parata erant, spes cunctos fefellit. Licentia gubernii russici, quam Chołoniewski et Grocholski se impetraturos sperabant, denegata est. Chołoniewski vero innuit eam ob causam vetitam fuisse, quia orta erat suspicio apud Russos Redemptoristas non esse nisi dissimilatos Iesuitas.

Quod S. Clemens ne morte quidem instante fidem in P.e Podgórski collocatam amiserat, apparet ex epistola Nuntii Leardi ad Cardinalem Consalvi, ubi haec leguntur: « Prima di morire fu designato in sua vece [*ut Vicarius gen.*] un P. Liguoriano, che si trova in Polonia » (55). Tunc temporis S. Clemens iam certus erat Congregationem suam fore approbatam ab Imperatore in Austria. Idem confirmat P. Martinus Stark in epistola ad Passerat uno mense post mortem S. Clementis: « Weil P. Hofbauer früher schon den Wunsch oder seinen Willen zu erkennen gab, den P. Podgórski hieher kommen zu lassen, so bin ich schon von vielen angegangen worden und selbst vom Hochw. H. Erzbischof, ihm darüber zu schreiben » (56).

Verum interea P. Passerat nominatus est a Rectore Maiore Vicarius generalis et mense octobri in urbem Wien pervenit moxque apud se P.em Podgórski advocavit; qui mandato oboediens sine mora paroeciam reliquit et ante finem huius anni profectus est, consecrationi ecclesiae Mariae Stiegen die 24 XII 1820 adfuturus.

Mense februario rector domus porrexit gubernio petitionem nomine totius Congregationis, ut sacerdoti Ioanni Podgórski licentiam concederet sese communitatì noviter erectae adiungendi et ob hanc causam ei ius civitatis, impertiendi (57). Nullum invenitur tamen vestigium P.em Podgórski illud civis ius obtinuisse. Ex documentis a P.e Hosp allegatis scimus gubernium austriacum inter alias conditiones illam posuisse, ut se obligaret ad nunquam sine licentia Imperatoris extra fines Austriae exeundum atque usque ad finem

(54) MH I 87, XII 290.

(55) MH XIV 134.

(56) MH XII 213.

(57) MH IX 358.

vitae in communitate Vindobonensi Redemptoristarum commorandum (58). Facile intelligitur, P.i Podgórski difficillimum fuisse abdicare se desiderio carissimo ac cordi eius profundissime inserto, Congregationem nempe in Polonia restituendi et zelum suum apostolicum ibi explicandi, dum contra tamquam Polonus in Austria, linguam germanicam imperfecte callens, si non totaliter saltem maxima ex parte a ministerio apostolico practice exclusus relinquebatur. Accedit, quod tunc plena efficacia suae virilis aetatis fruebatur, magno cum successu laborabat, et proprie hoc tempore spes erigendi conventum Congregationis in Warszawa affulgebat. Spes ista excitata est ab amicis Bennonitarum e familia comitum Tarnowski. Laura Tarnowska, optimo spiritu religioso imbuta, testis oocularis eorum, quae fiebant apud S. Bennonis, commorans in Wien, suggessit P.i Passerat ideam instaurandi Bennonitas in Polonia simulque fundum in vastis suis praediis offerens et promittens se per intimam suam amicam, quae nuper anno 1820 nupserat Constantino, fratri Imperatoris Russiae Alexandri, Regni Poloniae vices gerenti, licentiam gubernii obtenturam esse. Quibus permotus P. Podgórski cum benedictione P.is Passerat die 10 IV 1823 in Polonię reversus est.

Fortasse in hoc proposito invenitur ratio, cur P. Passerat in relatione ad RM Mansione scripsit: « P. Podgórski, monitor P. Rectoris et meus... corpore sanus, robustus, humilis et observantissimus, etsi in Polonia magnos fructus in missionibus collegerit et acceptissimus, mihi parum prudenti et sagaci mente videtur » (59). Nam post 10 annos ad Vicarium generalem Blasium Panzuti idem P. Passerat ita refert: « Religiō mihi duco notitiam R.P. Podgórski dare. Optimus ille Pater non tantum superioribus suis, sed et confratribus et christiano populo acceptus, probatus fuit Varsaviae. Multiplices et maximas inter tentationes vocationi suaे constanter et apprime fidelis permanxit. Statim in Viennam illum vocavi. Relictis patria, honore et emolumētis canonicatus, immo et magno in laborib⁹ apostolicis successu, accessit et nobis omnibus fuit aedificationi, quem invitus dimisi post circiter duos annos conversationis inter nos, sub sola spe, quam habebamus dispersos confratres in Polonia iterum uniendi et eorum saluti consulendi ». Negotium tamen nimis arduum devenerat Bennonitas, ante 15 annos a gubernio expulsos, denuo introducere. Quapropter P. Podgórski re cum episcopo collata constituit primum paroeciam acceptare et quidem talem, ubi tecto nomine vita communis institui posset. Quod propositum P. Passerat ad RM Mansione pro approbatione misit in epistula diei 24 XI 1823: « Il P. Podgórski vorrebbe accettare nella Polonia una parrocchia statagli offerta, dove egli potrebbe subito abitare con due o tre confratelli polacchi e con questo mezzo egli spera di poter richiamare se non tutti, almeno la maggior parte dei nostri Padri polacchi dispersi dal tempo della soppressione in Varsavia » (60). Responsum habetur in epistola P.is Springer data ex Pagani diei 20 I 1824: « Quod attinet propositionem P. Podgórski acceptandi paro-

(58) Cfr Ed. Hosp., *Erbe des hl. Clemens H. Hofbauer*, Wien 1953, 70.

(59) MH IX 353.

(60) MH IX 357.

chiam... Rev.mus Vicarius gen. [*Iosephus di Paola*] hanc propositionem approbat cum limitatione tamen, ut acceptatio parochiae *ad tempus fiat et cum obligatione eam dimittendi casu*, quo spes praenotati finis assequendi evanescat » (61). Qua approbatione accepta P. Podgórski paroeciam in Piotrkowice acceptavit.

2. Fundatio domus CSSR in Piotrkowice, 1824-1825

Stanislaus comes Tarnowski, utens suo iure patronatus ad beneficium paroeciale in praedio suo Piotrkowice, praesentavit Ordinario die 4 IX 1824 P.em Podgórski. Piotrkowice, pagus situs in centrali parte Poloniae, nunc in palatinatu Kielcensi, illo tempore pertinebat ad eam partem Poloniae, quae in Congressu Vindobonensi Russiae adiudicata est; sed ecclesiastice consti-tuebat partem dioecesis Cracoviensis. Dismembratione sic facta a tribus in-o-narchis Russiae, Borussiae, Austriae evenit, ut etiam dioeceses divisae par-tim huic, partim illi ditioni subicerentur. Et sic dioeceseos Cracoviensis una pars pertinebat ad Austriam, altera ad Borussiam, tertia cum 46 paroecis ad parvulam Rempublicam Cracoviensem, quae usque ad annum 1846 quam-dam umbram independentiae politicae conservavit. Novae circumscriptiones dioecesium factae a S. Sede diebus 11 III 1817 et 30 VI 1818 per bullas *Mili-tantis Ecclesiae ac Ex imposita nobis* hunc statum non mutaverunt. Quo factum est, ut P. Podgórski canonice institutus sit parochus ab ordinario Cracoviensi Ioanne Paulo Woronicz per delegatum ab ipso Vicarium genera-lem pro parte russica Iosephum Wysocki. Quae institutio facta est die 29 XI 1824. Eodem die novus parochus coram magistratu civili declarationem subscribere debuit, se nunquam associationis politicae membrum fuisse, ne-que in praesenti esse, nec in futurum fore (62).

Oboediens dispositionibus superiorum, P. Podgórski vix parochus nomi-natus novum tentamen fecit condendi domum vere religiosam et quidem hac vice in ditione austriaca. Auxilium praebuit idem Stanislaus Tarnowski et magis forsitan uxor eius Laura, nata Potocka, praedia etiam sub ditione austriaca possidentes. Exsistebat ibi in confinibus Galiciae vetus monasterium PP.um Praedicatorum a proavis familiae Tarnowski in Tarnobrzeg fundatum, nunc autem fere derelictum. Cum vero ecclesia paroecialis attigua in Miechocin declarata esset pro servitio divino inepta ob suum deplorabilem statum, familia Tarnowski ad gubernatorem Galiciae petitionem misit, ut da-retur licentia Congregationi SS.mi Redemptoris, in Austria iam approbatae, occupandi illud monasterium simul cum obligatione suscipiendi curam pa-roeciale dictae paroeciae in ecclesiam monasterii translatae. Responsum ta-men venit negativum, quia curia episcopal is in Przemyśl, in cuius territorio monasterium erat, obiecit, Redemptoristis utpote monachis beneficium sae-

(61) Archivum Generale CSSR [citantur AG] X B 5.

(62) In hoc sensu corrigendae sunt notitiae a P.e Hosp allegatae in libro *Erbe des hl. Clemens* 70-71.

culare accipere non licere atque ipsis deesse sodales, qui linguae vulgaris periti essent. Tunc Laura Potocka ipsum Imperatorem adiit atque libello supplici ab eo petivit hanc gratiam, respondens ad obiectionem Redemptoristas non esse monachos sed sacerdotes saeculares in communi sub regula viventes et linguam populi optime callere, utpote indigenas huius regionis. Nihilominus petitio haec ab Imperatore reiecta est (63). Aliqua explicatio huius negativi responsi invenitur in litteris scriptis a P.e Passerat ad Rectorem Maiorem diei 7 VIII 1825: « Per la Galizia ci sono ostacoli e la cosa non va avanti. Il nostro sovrano certamente ha la miglior volontà, ma dapertutto sono le *regenze* che guastano li affari ».

Deceptus spe erigendi domum religiosam sub ditione austriaca, tanto maiori studio conatus est P. Podgórski instituere vitam communem in Piotrkowice. In eadem epistola alludit P. Passerat ad conatus, quos amici CSSR fecerunt apud gubernium russicum. Praeter D. Lauram Tarnowska rem quasi suam fecit noviter nominatus archiepiscopus Varsaviensis Adalbertus Skarszewski, qui olim ut episcopus in Lublin et P.is Podgórski in Cygów parochi ordinarius, eius virtutes atque egregias qualitates cognoverat et plurimum aestimaverat. Hic occasione adventus Imperatoris Alexandri I in Warszawa ab eo in audience receptus est et tum rogavit Imperatorem, ut Bennonitis ex Warszawa a Gallis expulsis iterum in suum conventum redire permetteret. Imperator petitionem benigne recepit et mandavit, ut in speciali « Pro-Memoria » exponeret, quod archiepiscopus libenter fecit.

In hoc libello supplici haec leguntur: « Puisque la Providence dans Sa Miséricorde a daigné Vous choisir, Sire, pour relever la Religion et faire revenir les peuples à ses saintes lois, les individus dispersés de cette Congrégation, la plupart Polonais, qui se trouvent dans le Royaume, et qui remplissent avec un zèle et un dévouement exemplaire les devoirs de curés dans différentes paroisses, osent présenter à Votre Majesté par mon organe leur très humble demande, qu'il leur soit permis de retourner à leur vocation, de vivre en communauté et d'ouvrir un séminaire dans une des paroisses confiées à leurs soins pour la jeunesse qui voudrait se vouer à cet état ecclésiastique... En joignant mes très humbles instances aux leurs, je dois, Sire, en conscience ce témoignage à cette Congrégation respectable, qu'elle est aussi avantageuse pour développer les principes religieux et leur sainte morale, qu'indispensable surtout pour la classe indigente, qui n'est que trop privée dans ce pays des secours et des instructions spirituelles » (64). Ut patet, petitio sat audax, ostendit archiepiscopum in benevolo animo Imperatoris multum confidisse. Sed, proh dolor! post breve tempus Imperator vita decessit et quidem prout omnes fere Imperatores Russiae morte violenta, ut fama fert, veneno interemptus in Taganrog die 1 XII 1825. Post mortem petitio haec reperta est in scriptis Imperatoris ac successori remissa, qui eam ad acta reposuit.

(63) MH IX 115, 354, 359.

(64) MH IX 118.

3. De rebus in Piotrkowice gestis, 1824-1830

Mutatis confinibus Poloniae in tres partes divisae atque in Congressu Vindobonensi denuo stabilitis, nova circumscriptio dioecesum necessaria evasit. Quem in finem nominatus est a Pio VII anno 1817 Franciscus Malczewski, episcopus Iunislavensis, postea archiepiscopus Varsaviensis, legatus apostolicus hac mente ut illud negotium cum gubernio componeret. Insimul ad instantiam gubernii, facultate a S. Sede obtenta, decrevit suppressione plures conventus religiosorum, in quorum numero etiam domum FF. Minorum, qui in Polonia « Bernardini » appellantur, in Piotrkowice sitam. Decretum suppressionis subscrispsit in pervigilio suae mortis die 17 IV 1819. In praedicti conventus ecclesia servabatur statua Virginis Immaculatae, quae tamquam thaumaturga colebatur a fidelibus inde a saeculo XVII. Statua illa permultos fideles attrahebat, praesertim postquam domina illius praedii Sophia Rokicka, ipsa miraculose ex gravissimo morbo sanata, in signum gratitudinis monasterium fundavit ac PP. Bernardinos advocavit, domum ac ecclesiam propriis sumptibus aedificando.

Sub diligenti cura PP. Bernardinorum sanctuarium florescere coepit. Crescente cultu atque numero gratiarum ac miraculorum, amplificatum est sanctuarium per sic dictam « Domum Lauretanam », nec non conventus, ut maiorem numerum studentium, qui ex duabus novitiatibus (Kraków et Radecznica) illuc studiorum causa conveniebant, capere posset. Suppresso conventu, religiosi cum suis mobilibus transportati sunt in aliud monasterium eiusdem ordinis non valde distans, in Karczówka. Eorum domus cum pulchra ecclesia facta est sedes paroeciae, utpote quod prior ecclesia parochialis iam penitus dilapsa ac proxima ruinae cultui inservire non poterat. Factum est hoc ex auctoritate episcopi Pauli Woronicz, ab anno 1815 ordinario Cracoviensi, die 3 V 1824, re composita cum gubernio russico. Episcopus Woronicz optime noverat Bennonitas, quia tempore S. Clementis decanus erat Capituli Cathedralis Varsaviensis; quare, expulsis FF. Minoribus, cum Domina Tarnowska consilium cepisset, utens titulo iuris patronatus, P.em Podgórski ad beneficium in Piotrkowice praesentandi, episcopus tam efficaciter petitionem istam apud gubernium Varsaviense fulcivit, ut brevi post profectum PP.um Bernardinorum P. Podgórski derelictum ab ipsis conuentum una cum ecclesia tamquam parochus rite institutus occupare potuerit mense augusto an. 1824.

Historia huius fundationis conscripta est a chronista domus P.e Ignatio Dylewski, cuius manuscriptum conservatur in archivo Prov. Polonicae. Auctor mortuus est die 17 III 1843 tamquam parochus in Lisów dioec. Kielcensis. Ante mortem opusculum tradidit cuidam professori seminarii in Kielce, qui postea illud Patribus nostris restituit (65).

Primi a P.e Podgórski in Piotrkowice missi sunt Paulinus Trepka, qui ad vitam religiosam in nostra Congregatione aspirabat, et P. Simeon MA-

(65) MH IX 241-249, 360-377.

JEWSKI. Hic natus in Bodzanów, dioec. Płock die 20 X 1778, ab anno 1792 in Warszawa studiis humanioribus incumbebat, an. 1799 ingressus est Congregationem ad S. Bennonis ibique professus, an. 1802 inter fratres laicos enumeratur, sed an. 1807 sacerdotio auctus, in momento expulsione unus fuit ex eis, qui a magistratibus cogebantur secreta religionis revelare atque votis religiosis renuntiare. Post dispersionem ei, utpote ex Magno Ducatu oriundo, permissum est ibi remanere. Eodem anno nominatus est vicarius cooperator in Kutno, dioec. Warszawa, ibique mansit usque ad annum 1820. Tunc factus est administrator paroeciae Łąkoszyn. Post duos annos contulit se ad P.em Passerat in Helvetiam. Sed quando spes affulsit erigendae domus in Polonia, in patriam rediit et iam die 24 VIII 1824 nominatus est vicarius cooperator in Piotrkowice. Sed non diu datum est ei zelum suum hic exercere, nam die 4 III 1826 obiit vapore prunarum in sommo suffocatus (66).

Alter cooperator P.is Podgórski Paulinus TREPKA, natus die 22 VI 1801 in Bichniewo paroeciae Secemin, an. 1824 sacerdos ordinatus in Kraków, per biennium in Piotrkowice laborabat, postea vicinam paroeciam Kurozwęcki administravit. Exorta insurrectione anni 1830 munere cappellani militum fungebatur et aurea cruce « Virtuti militari » insignitus est. Post insurrectionem una cum exercitu in Galliam emigravit ibique in Paris die 30 VIII 1867 mortuus est (67).

Numerus familiae religiosae in Piotrkowice decurrente anno 1824 aliis duobus auctus est: Hilario Sternicki, qui tamen die 20 X 1828 Congregationem reliquit, nec non Valentino ABRAMSKI. Natus die 6 VI 1802 in Drwałki, dioec. Płock, sub tutela P.is Podgórski erat, familiaritate ipsi coniunctus, quando hic in Radzymin curam animarum exercebat, unde eum in Piotrkowice accivit an. 1824. Ibi vestitus est die 4 XI 1825 et vota emitis die 8 XII 1826. Absolutis studiis theologicis partim apud PP. Benedictinos in Pułtusk, partim in seminario in Kielce, sub directione P.is Podgórski, sacerdotio initiatus est in Kraków die 23 IV 1826; postea vicarius nominatus est in Piotrkowice usque ad an. 1834. Post dispersionem ministerio paroeciali fungebatur in Sędziszów, deinde in Słupia dioéc. Kielce, ibique obiit die 23 XII 1868 (68).

Anno sequenti advenit ex Helvetia P. Nicolaus KOZIŃSKI. Natus die 9 XII 1775 in Bąków dioec. Płock, invenitur in catalogo domus ad S. Bennonis anni 1802 inter fratres servientes. Qua talis cum aliis sodalibus in Kistrzyn ablegatus, sed postea in Warszawa reversus a P.e Priore O.S. Augustini in novitiatum admissus est. A ministris publicae securitatis detectus, propter transgressionem praecepti redditum in capitalem ipsi prohibentis carcere punitus est. Tandem liberatus, protectorem novit canonicum Turowski in Łowicz, cuius ope studia complere et ad P.em Passerat in Helvetiam se conferre potuit. Et sic an. 1814 in seminario Friburgensi ad sacerdotium pervenit. Anno 1815 in patriam remissus, vicarius cooperator in Piotrkowice nominatus, hoc munus usque ad suppressionem huius domus exercebat; postea P.em Podgórski adiuvit in Kościelec ac deinde in Nowa Góra usque ad an-

(66) MH II 42.

(67) MH IX 110.

(68) MH IX 243.

num 1843. Reliquum tempus suae vitae transegit in Kraków in domo emeritorum; fidelis suae vocationi ibique vita decessit die 3 V 1859 (69).

Fundatione in Piotrkowice inchoata et aliquantulum ordinata, P. Podgórski in urbem Wien se contulit sive ut aliam domum in ditione austriaca condendam, de qua supra, promoveret, sive ut de domo in Polonia Vicario generali referret, ulteriores normas atque facultates implorans. Secum attulit aspirantem iuvenem Hilarium Sternicki, ut hic sub tutela P. is Passerat in scientia atque spiritu Congregationis formaretur (70). Domum rediens e Kraków secum portavit Fratrem Iosephum Daubicz, qui tamquam faber lignarius ad restaurandam domum multum adlaboravit ac etiam post dispersionem P. em Podgórski non dereliquit.

Paulo postquam in Polonię rediit, P. Podgórski in Warszawa accessit, nascentem suam fundationem coram gubernio defensurus. Ibi adiit eum iuvenis seminarista 20 annorum Ignatius Dylewski, qui die 1 VII 1825 in familiam religiosam receptus una cum Valentino Abramski die 4 novemboris habitu religioso vestitus est. Natus die 15 X 1805 in Zielona dioec. Płock, studia minora absolvit in Zuromin, post 6 menses apud Missionarios S. Vincentii ex tirocinio dimissus « ob indolem parum morigeram ». A P.e Podgórski receptus in Congregationem vota emisit die 8 XII 1826. Superiora studia fecit partim in Kielce, partim in Kraków, ibique sacerdos ordinatus die 16 VII 1829, primam Missam celebravit in Piotrkowice, ubi usque ad expulsionem ministerio paroeciali inserviebat. Postea in Lisów dioec. Kielce paroeciam administrabat ibique obiit die 17 III 1843, cum graviter decumbens ex inflammatione pulmonum ob errorem domesticae loco medicinae porrectum sibi venenum sumpsisset (71).

Non defuerunt candidati in Congregationem admitti cupientes, sed pauci perseveraverunt. Ita Iosephus Hoffman, quem P. Podgórski secum ex Austria attulerat, sacerdotio initiatus in Austriam reversus est. Narrat chronista eum postea in Kraków propter vitam scandalosam suspensum esse. Etsi e Congregatione dimissus erat, nihilominus P. Podgórski debita ab eo contracta solvere debuit. Anno 1826 familia novum incrementum cepit; vestiti sunt namque tres noviti Venceslaus Pekarz, Franciscus Bernard, Martinus Łypiński. Duo alii: Abramski et Cempiel sacerdotio insigniti sunt. Nonnulli aspirantes advenerunt ex Ordine S. Pauli ex Częstochowa, fama P. is Podgórski allecti, sed fere nullus restitit fidelis.

Coram gubernio domus in Piotrkowice apparebat ut paroecia. P. Podgórski tamquam parochus habebatur, quem adiuvabant vicarii et clerici immo saeculares viri tum in administranda oeconomia, tum in praeparandis sollemnitatibus sanctuarii — quod brevi tempore magnam celebritatem assecutum est et magnam multitudinem fidelium attrahebat — tum in sustinenda

(69) MH I 89, IX 109 et 113, X 42, XIV 187. - Exstat epistula eius (AG Pr.A. XIV 3 a) quam die 21 VI 1857 ex Kraków ad RM N. Mauron direxit, protestans se ut membrum Congregationis vivere et mori velle.

(70) B. ŁUBIĘNSKI, O. Jan Podgórski, Kraków 1913, 71.

(71) MH IX 243.

schola non solum elementari sed etiam media, cuius alumni, qui spem dabant sese Congregationi aggregandi, tamquam convictores prorsus gratuito alebantur. Mox etiam novitiatus clandestinus institutus est atque nonnulli ad vota atque ad ordines admissi sunt. Familia religiosa interdum plus quam 50 personas numerabat. Unde fieri non potuit, quin vigilantia gubernii exercitaretur. Praesertim quando occasione iubilaei papalis anni 1825 P. Podgórski Missiones praedicare coepit et quidem in eadem forma, quam apud S. Bennonis didicerat et cum tanto successu exrcuerat. Cursus Missionum initium habuit in Piotrkowice et quidem tam felici exitu, ut undique talia exercitia a pastoribus quaererentur. Et ita praedicatae sunt Missiones in dioec. Kielce et Sandomierz in civitatibus Pińczów, Szydłow, Stopnica, Tumlin, Małogoszcz, Lisów etc. (72).

Ante hos labores apostolicos instituta est in Piotrkowice visitatio canonica a decano foraneo Markiewicz, cuius acta exstant ac praeclarum testimonium exhibent tum pergrandis zeli apostolici pastorum, tum magnae sollertiae in sustentanda schola, tum personalis virtutis ac sanctitatis atque exemplaris vitae totius communitatis, imprimis verum dignissimi praepositi.

De iubilaeo anni 1826. - Chronista domus, iam nobis notus P. Ignatius Dylewski, sequentia refert. Tamquam praeparatio ad Missionem in Piotrkowice, primum celebrata est devotio novendialis ad Spiritum S. cum instructione populi semel in die. Statim postea triduum occasione festi Nativitatis B.M.V. et devotio 40 horarum. Post talem praeparationem exorditur Missio, quam exceperit proprie dictum iubilaeum, quod protractum est per 23 dies usque ad 4 octobris. Principalis praedicator fuit P. Podgórska, sed infirmitate gutturis correptus non nisi 23 sermones recitare valuit. Alii debuerunt ei succurrere. Decanus Markiewicz habuit 15 sermones, P. Trepka 17 sermones, P. Cempiel vix ordinatus 12 sermones, et ipse chronista nondum ordinatus Ignatius Dylewski, qui haud communem artem oratorium ostendit, 64 instructiones ad populum et conciones recitavit. Concursus populi ingens, observat chronista, sed non minor invidia cleri saecularis. Confessiones excipiebantur hic a quinta hora matutina. Horarium habebatur ad instar S. Bennonis; per totam diem populus exercitiis pietatis occupabatur. Confessarii erant 20 ad 25 cotidie. Episcopus auxiliaris ex Miechów Missam pontificalem celebravit et 7000 fidelibus sacramentum Confirmationis administravit. Circa medium iubilaeum Communio generalis 9000 fideles Sacro Pane refecit; in universum, secundum computationem Decani, 14000 sacrae particulae distributae sunt. Culmen attigit Missio processione finali, plantatione 4 crucium et erectione statuae B.M.V. Immaculatae cum concione P. is Podgórska. Expensas pro victu cleri toto hoc tempore solvit familia comitum Tarnowski. Fructus spiritualis populi quidem permagnus. Sed suscitata est attentio atque vigilantia magistratum, religiosam indolem communitatis tam numerosae suspicantium.

Nihilominus secutae sunt Missiones iubilaei in aliis paroeciis; in Pińczów

(72) MH IX 70 ss.

sub finem turba audientium sermonem numerabat circa 8000. Immo etiam Hebraeis Missio gratissima erat (fortasse propter solutas restitutiones!), adeo ut vellent et ipsi partem habere, sed non fuit ipsis permissum. Notandum, quod Pinczów tunc temporis habebatur tamquam urbs caput gentis hebraicae in Polonia. Secuta est brevi tempore missio in Szydłów, quae vehementem tempestatem contra missionarios excitavit (73).

Negari nequit adiutores P. Podgórski, utpote Missionarios iuvenes atque inexpertos zelo apostolico nimis indulgentes, in praedicando quandoque modum excessisse et haud paucas imprudentias commisisse. Ita evenit in Szydłów. Fr. Dylewski tunc temporis adhuc clericus, in ecclesia instructio nem catecheticam habuit ad populum de officiis dominorum et servientium. Cum vir quidam ebrius, cui verba praedicatoris non placuerunt, clamorosa voce in ecclesia protestaretur, tumultus ortus est fidelibus id aegre ferentibus. Quo facto ministri publici intervenerunt et res ad superiores potestates delata est, immo in Warszawa animum ipsius vice-regis Constantini solicitavit, qui sic dicta « mania suspicandi » notus erat. Unde opus erat pluribus investigationibus, ut tandem res in plenam lucem poneretur. Supremi magistratus ecclesiastici ac saeculares commoti, omnes incolae in Szydłów ac Piotrkowice iudicialiter excussi, ipse Fr. Dylewski pluries examini submissus; uno verbo: acta huius causae totum volumen complent MH IX. Debetur valentissimae protectioni superiorum ecclesiasticorum et nobilium polonorum imprimis familiae Tarnowski, quod magna illa tempestas sat feliciter composita sit. Remansit tamen in mente apud ministros publicae securitatis suspicio communitatem in Piotrkowice esse religiosam congregationem, secretam ac absconditam, Iesuitarum vel Bennonitarum.

Fovebatur illa suspicio per nuntios, qui mittebantur a Kraków ex circulis massonicis vel per exploratores russicos. Exstat relatio scripta ad gubernium in Warszawa accusans P.em Podgórski, quod clandestinum teneret seminarium, quod conspiratorios foveret contactus cum exteris in Wien, quod caput esset secretae societatis mulierum nobilium, quas ut moderator spiritualis dirigebat, quod absconderet iuvenes militiae adscriptos et similia (74). De qua re certior factus, Constantinus institit, ut finis imponeretur huic instituto. « Je suis informé par des renseignements authentiques qu'il existe à Piotrkowice... une espèce de séminaire conventuel sous la direction de l'abbé Podgórski, curé du lieu. Cet ecclésiastique entretient au mépris des défenses établies, des relations avec le Supérieur des Rédemptoristes et Liguoriens à Vienne et la Congrégation des Jésuites à Tyniec en Galicie... Dans le cas où cet établissement existerait sans autorisation spéciale et régulière ... je désire être informé des mesures que le conseil aura arrêtées pour faire cesser une contravention aussi grave à l'ordre établi, afin que je ne manque pas d'en rendre compte à Sa Majesté... (75).

Iam tunc ergo sors domus Piotrkowice decisa esse videtur. Quodsi nihilominus adhuc Patres per 4 annos remanere potuerunt, id tribuendum est

(73) MH IX 119 ss.

(74) MH IX 190 ss.

(75) MH IX 194, 263 ss.

partim quod condicio politica per insurrectionem anni 1830 mutata fuit, partim quod amici P. is Podgórski, ecclesiastici et saeculares, executionem decreti suppressionis procrastinare sategerunt. Nihilominus numerus familliae valde erat minuendus, clerici dimittendi, schola pro iuvenistis claudenda. Hoc igitur tempore status personalis sequens fuit: Parochus, P. Podgórski, cum quinque coadiutoribus: Abramski, Koziński, Pekarz, Bernard, Dylewski; sex clerici: Bieńkowski, Sobolewski, Faron, Zajdler, Jackowski, Łatosiński, mox dimittendi, atque in seminario dioecesano collocandi (76).

Secundum sententiam episcopi Skórkowskiego processus instructio commissa est viris, qui palam noti erant ex eorum aperta impietate ac ex animo religioni infensissimo. Nihilominus non obstantibus tot investigationibus, quae in omnia particularia vitae communis Piotrkowicensis intrare non verebantur, nihil in depositionibus testium invenitur, quod in exemplarem vitam, bonos mores et pietatem vel umbram conicere possit. Hac etiam occasione iuvat citare quod chronista de P.e Podgórski conscripsit: « Quae P. Podgórski passus est, in iudicio Deus monstrabit. Semper nobiscum collocuti sumus: Si hic non erit sanctus, nullus ex nobis erit. Fortitudo eius ex oratione fluebat. Saepe in terra prostratus iacebat in oratorio, vel genuflexus ante tabernaculum, intra Missam lacrimas fundens. Exemplar ab omnibus imitandum. Coram sodalibus nunquam tristis, nisi quando quis subditorum deliquerat. Tunc utique tristitiam suam monstrabat: silebat, faciem manibus abscondens oculis demissis. Hoc signum doloris et simul quoque punitio delinquentis. Maior adhuc poena, si singulis benedicens delinquentis manum constringere omittebat... Nuntio suppressionis allato, omnibus animo deiectis, ipse serenus atque tranquillus alios horfabatur, ut voluntati divinae sese submitterent. Ipsi liberum esse facere secundum suum beneplacitum. Filii, nolite timere: Deus bonus est... Deinde ultimam exhortationem fecit super verba: Euntes ibant et flebant » (77). Quantopere dolori fuerit P.i Podgórski suppressio seminarii et separatio a dilectis clericis suis appareat ex verbis eiusdem chronistae, qui ceteroquim utitur verbis severis ac acerbis erga P.em Podgórski: « Quinque minutis post profectum clericorum chronista adivit P. Rectorem videre cupiens, quomodo sese gereret. Invenit eum amare plorantem et ingemiscentem. Nequivit eum consolari... Tunc ad me ipsum ita locutus sum: Deus meus, num egregius hic vir necesse habuit tot dolores atque molestias in se suscipere? Poterat esse praefatus, in magna sua paroecia manere et in pace divitem vitam gerere, sed omnia reliquit et despexit, nobiscum condividens pecuniam, vestimenta, mobilia omniaque sua ita, ut ne quidem unam bonam subuculam habuerit, ne quidem frustulam panis sine angustia comedere potuerit, volens et hanc cum aliis partiri, sed non ei licet ». Demum P. Podgórski ad se reversus dixit: « Fili mi, homines sumus, quid possumus facere?... Fiat Voluntas Dei. Spero dolorem hunc nobis in bonum versurum esse » (78).

(76) MH IX 211, 243 ss.

(77) Chronica domus p. 57, cfr MH IX 263 ss.

(78) Chronica domus p. 63.

4. Ultimi anni et suppressio, 1830-1834

Insurrectio exorta in Warszawa die 29 XI 1830 solum per breve tempus regionem a russicis magistratibus liberavit. Ex familia religiosa, cuius dispersio inde suspensa erat, nemo in hoc bello activas partes habuit. Mandato ordinarii Cracoviensis obsequens, P. Podgórski novo gubernio fidem praestitit. Obsequium eo magis opportunum erat, quod non defuerunt, qui apud novum regimen Patres accusarent inimici erga gubernium animi. Propterea opus erat, ut fortis ac intrepidus episcopus Cracoviensis in favorem domus in Piotrkowice interveniret.

Belli inseparabilis comes, pestis cholérica, etiam Piotrkowice invasit simul cum tristibus nuntiis de infausto résurrectionis exitu. Mox tota regio a militibus russicis occupata est. Quod tamen nec publicum cultum in ecclesia nec lectiones in schola impeditiebat. Sed hic status rerum diu non perduravit. Mox denuo incepérunt investigationes et commissiones sine fine, quae tandem ad novam suppressionem scholae perduxerunt. De quadam harum perquisitionum, quae per integrum hebdomadam protracta est et cuius interrogatorium 300 capita continebat, haec habentur in chronica domus anni 1832: « Commissarius cum omni scrupulositate investigationem perficiens, cum eset vir catholicus... indagatione finita nobis processum verbalem perlegit, deinde ad studentes nostros sermonem fecit eos ad studiositatem, oboedientiam, gratitudinem adhortatus, omnes ita commovit, ut infantium instar ploraverimus et ipse lacrimans nobis valedixerit » (79).

Quantopere gubernium russicum dispersos anno 1808 Bennonitas adhuc anno 1834, id est, post 26 annos timuerit, inde iudicari potest, quod occasione investigationis factae in Piotrkowice gubernator in Warszawa ad singulos ordinarios Regni Poloniae mandatum misit postulans, ut in omni dioecesi fieret inquisitio, utrum quis Bennonita absconditus inveniretur. Re vera reperti sunt quattuor Bennonitae: Jestershein, Blumenau-Kwiatkowski, Darewski in dioecesi Varsaviensi, atque P. Adalbertus Schröter in dioecesi Augustów. De omnibus episcopi optimum testimonium dede-runt (4-16 VII 1836). Quibus innixus Gubernator generalis Poloniae Paszkiewicz decrevit: « Perfecta relatione de sacerdotibus Bennonitis, alias Redemptoristis, licentiam concedo remanendi in hac regione sacerdotibus istius regulae: Koziński, Schröter, Jestershein, Blumenau, Darewski, perpenso eorum diuturno commoratu in regno, tranquillo animo, nec non bono testimo-nio a magistratibus localibus dato, sub hac tamen conditione, ne ad Congregationem suam quempiam reciperent neque conventus instituerent, quod vigilantiae episcoporum committitur » (80). In hoc decreto P. Podgórski non nominatur. Cum etenim episcopus Cracoviensis Skórkowski decreto gubernii suppressi scholam nec non dimittendi P. em Koziński ac alumnos ad sacerdotium sese præparantes, sese opposuisset atque prohibuisset P.i Podgórski quoniam decreto gubernii obtemperaret, iram gubernatoris excitavit. Quam ob causam eam partem dioecesis Cracoviensis, quae ditioni

(79) MH X 241 ss.

(80) MH X 227 ss.

russicae suberat, iurisdictioni legitimi pastoris vi subtraxit et suum administratorem introduxit, quem episcopus Skórkowski excommunicavit. P. Podgócki, ab amicis suis Varsaviensibus praemonitus de sua iam decreta dettione in Kraków aufugit, administrationem paroeciae in Piotrkowice P.i Dylewski committens. Qui etiam, tamquam suspectus, a gubernio per aliquod tempus praepeditus deinde per 5 annos una cum P.e Abramski tamquam suo vicario munere pastoris in Piotrkowice functus est. Postea in vicinam paroeciam Lisów translatus est, ubi vita decepsit die 17 III 1843 (81).

Tempore suppressionis domus Piotrkowice, an. 1834, praeter superiorem P.em Podgócki ibi erant sodales sequentes (82) :

3 Patres : Valentinus Abramski, Ignatius Dylewski, Nicolaus Koziński, de quibus supra iam principaliora vitae adiuncta deditus.

4 Clerici professi : Stanislaus Bieńkowski, Franciscus Sobolewski, Franciscus Wroński, Iosephus Zajdler.

3 Clerici novitii : Ignatius Kowalski, Adalbertus Łatosiński, Ladislaus Roznowski.

Aderant insuper an. 1833 « humanistae » 16, uti patet ex relatione P.is Dylewski, iussu auctoritatis ecclesiasticae confecta (83) :

IV. ULTIMI CONATUS P. PODGÓRSKI DOMUM FUNDANDI, 1834-1847

Autumno anni 1834 P. Podgócki fracto corde reliquit Piotrkowice seque contulit in Rempublicam Cracoviensem ad suum amicum et protectorem episcopum Skórkowski. Ne hoc quidem tempore spem, quam semper fovebat, omnino deposuerat, se confratres suos tandem aliquando ex dispersione in unum collecturum esse. Apparet hoc ex epistola scripta ad P.em Dylewski, in Piotrkowice relictum, quae a ministris securitatis intercepta et ad gubernatorem generalem Varsaviensem delata est. Ibi haec habentur : « Memoriae teneas, nos etsi segregatos, quamquam proposita nostra in Piotrkowice irrita fuere, ad finem felicem perventuros, si modo perseveraveris, nomen Jesu in mente habeas, constans sis » (84).

Quamvis condicio politica parvulae Reipublicae Cracoviensis, praesertim post frustratam insurrectionem in Polonia russica, miserrima esset, tamen quaedam umbra libertatis religiosae ibi existebat, quae spem P.is Podgócki ibi fratres suos in religiosa communitate colligendi iustificabat. Spem illam fulciebant duo eius benevoli protectores : episcopus Skórkowski et praeses Reipublicae Gasparus Wielogłowski, qui iam plura argumenta benevolentiae erga ipsius personam ac Congregationem dederant.

Primum tamen, nactus hanc occasionem maioris libertatis, P. Podgócki iter fecit in Wien, ut adiret P.em Passerat, suum superiorem, ut cum

(81) Cfr ŁUBIEŃSKI, o. c. 234 ss.

(82) Cfr tabulam in MH X 248-249, *Analecta CSSR* 12 (1933) 30-31.

(83) Cfr MH X 244-245.

(84) MH X 230 ss.

eo totam rem componeret. Hucusque enim relationes cum superioribus ut-pote periculis plenae, rarissimae erant. Fuit hic dolor cordis eius tantopere Congregationem amantis omnium fortasse maximus, quod tamdiu ab ipsa separatus vivere debuit ac nullas fere relationes epistolares fovere potuit. De ipso itinere an. 1834 quod peractum fuisse affirmat quidem P. Łubieński in suo libro p. 238, fontem tamen non indicans unde hanc notitiam hauserit, dubitari licet. Chronista domus narrat anno 1834 P.em Podgórski in Kraków abiisse ea intentione, ut inde in Wien proficeretur, sed mox re infecta rediisse, quia episcopus Skórkowski de magno damno, quod ipsi eiusque confratribus Vindobonensibus ex hoc itinere secuturum fore, eum praemonuit. Concordat epistola quaedam, citata ab eodem chronista, Dominae Laurae Tarnowska, quae ex Wien ad P.em Podgórski haec scripsit: « Caveas, ne tuos confratres hic morantes tradas vel laedas coram gubernio. Passerat obsecrat te, ut sacerdotibus tuis ibi locum procurare, si coactus essem vi eos dimittere; ne tibi in mentem veniat eos hic transportare, nam etiam hic valde vexantur, nam adversarii parati sunt etiam pessima tentare, ne [potius ut] ipsis res quamvis innocentissima noceret » (85).

Iam ante insurrectionem, anno 1827, P. Passerat petivit a RM Cocco, ut Patres in Polonia sibi immediate subiceret, nam « E' pericoloso per noi che io li abbia sotto la mia direzione per via del nostro governo, perciò avrei più a caro, che stessero sotto la direzione immediata di V.P.R., affinché io con ogni verità possa dire in ogni incontro che non sono sotto la mia direzione » (86). Eandem petitionem misit P. Podgórski post quinque annos, anno 1832; ita rem exponens: « Inter alias habui hic aspirantes ex Imperio Austriaco. Hi improbi — quoniam non habebant veram vocationem dimissi sunt e Congregatione — post regressum in patriam accusarunt apud regimen Rev.mum P. Vicarium generalem, quod mittat subiecta extra Imperium, quod in Austriaco Imperio est maximum delictum civile. Ita ut si posset probari, daret occasionem persecundi totam in illo Imperio Congregationem. Obviando huic malo, scripsit mihi iam bis R.mus P. V. G., ut me sub Tuam, Rev.me Pater, immediatam protectionem subiciam. Hac de causa ad te confugio et humillime exoro, ut me suscipere digneris, cum tota familia, mihiique facultates, quas ab illo habui confirmare digneris » (87). Agebatur de facultate admittendi sodales ad professionem, fundandi domos, instituendi novitiatum, dandi litteras dimissorias pro ordinandis, acceptandi, si id necessarium erat, curam paroeciale et similia. Quod P. Podgórski eiusmodi facultates accepit a P.e Passerat, testatur praelatus Ioannes Scipio del Campo, nepos comitis Tarnowski supra memorati, qui tamquam iuvenis sacerdos finitis studiis romanis in Polonię revertens visitavit P.em Passerat in Wien et hac occasione ex eius ipsis ore audivit P.em Podgórski habere facultatem acceptandi paroeciam. Quod post annos viva voce P.i Łubieński retulit (88).

(85) MH I 371 ss.

(86) MH IX 355.

(87) AG X B 18.

(88) MH IX 219, ŁUBIEŃSKI, o. c. 238.

Modus agendi P. is Podgórski tamen non invenit gratiam apud Rectorem Maiorem eiusque Consultores, immo reprobatus est. Quod quidem sine dubio omnium maximum dolorem P. i Podgórski causavit. Curia Generalitia in Pagani longe distans ac ignara conditionum, in quibus versabatur ac missione suam exercebat P. Podgórski, aegre ferebat, quod paroeciam administrandam acceperat. Praesertim postquam sacerdos quidam Rudolphus Zajączkowski ex Warszawa in Pagani advenerat; is quoniam male dispositus erat erga P. em Podgórski, etiam RM Coclé contra eum inspiravit, ita ut Superior generalis litteras dederit ad P. em Passerat, ut P. em Podgórski ex Polonia revocaret (89). Sed P. Passerat aliter sentiebat ideoque respondit: « La presenza si viene considerata come una benedizione del cielo, si opera indefessamente e con gran frutto non solamente nel luogo, ove si trova, ma ben anche in tutta la vicinanza... Ho parlato anche io con quel canonico [= Lazzarista] che tempo fa, venendo dalla Polonia passò per Vienna, per portarsi a Napoli, ma non restai persuaso delle sue ragioni. Si deve conoscere bene il paese per potervi decidere e né anche il P. Hofbauer ha fatto, né gli fu possibile di fare altrimenti » (90). Verbis illis acquievit R. mus Coclé: « Giacché siete sicuro del bene, che opera in Polonia il P. Podgórski e che non è disperato il nostro ristabilimento in quel paese, potete prorogare il di lui ritorno senza cessare di sorvegliare sulla di lui condotta » (91).

Severius tamen de hac re iudicabat P. Blasius Panzuti, qui elevato ad dignitatem archiepiscopalem RM Coclé, per aliquod tempus ut Vicarius generalis gubernavit Congregationem. En eius verba ad P. em Passerat: « Urentem zelum praefatum Patrem habere, sed non secundum scientiam, novamque domum in Polonia velle erigere non iuxta Instituti Regulas, sed iuxta eius placita, paroeciam regendo, vicariorum, capellanorum officiis fungendo etc. Estne autem optandum, ut eiusmodi erigerentur nostrae Congregationis domicilia, de quibus valde apposito cum Isaia diceretur: Multiplasti gentem, sed non magnificasti laetitiam » (92). Et similiter in alia epistola: « Non ita tamen gaudium afferens est domus, quam Cracoviae statuere conatur P. Podgórski, quippe quae non iuxta sed contra Instituti Constitutiones, quibus cavetur, ne animarum cura nostris ex officio incumbat. Qua super re idcirco, cum nuper ab eo acceperim epistolam, conscient illum feci de eo, quod in Consultationibus generalibus sub praeterito Rectore Maiore habitis proximo elapso septembri unanimiter resolutum fuit super eiusmodi negotio » (93). Patet inde P. em Podgórski non tantum non obtinuisse confirmationem facultatum ipsi concessarum a P. e Passerat, sed Rectorem Maiorem de ipsa canonica validitate fundationis dubitasse. Sribit etenim: « La casa di cui parla il predetto Padre non è stata riconosciuta dalla Congregazione, ed in conseguenza come vuole ricevervi nuovi sogetti? » Et: « In Consultationibus generalibus unanimiter reprobatum est, quod sub titulo SS. mi Redemptoris erigatur domus, cui animarum cura parochialiter incumbat. Cum enim nobis vetitum id sit a nostris Constitutionibus, mentiretur profecto,

(89) AG IX C 57.

(90) MH IX 356.

(91) AG IX C 59.

(92) AG IX C 74.

(93) AG IX C 75.

qui istiusmodi domum ad nostram putaret Congregationem pertinere eiusque privilegiis uti, immo ab eius Rectore Maiore regi atque agnosci posse » (94).

Vix intelligi potest, quanta amaritudine anima P.i Podgórski eiusque confratrum repleta est, statim ac illae decisiones ad eorum notitiam pervererunt. Nisi quod utrum re vera pervenerint, prorsus certum nondum videatur, ob prohibitum a gubernio commercium epistolare. Etenim in epistola P.i Podgórski ad P.em Passerat diei 21 X 1835 — unica atque ultima, quae ex hoc tempore habetur — notat priorem epistolam P.i Passerat septem mensibus indiguisse, ut in eius manus perveniret (95). In eadem epistola P.em Passerat certiores facit de sua expulsione ex Piotrkowice et de novo domicilio invento in Republica Cracoviensi. En eius verba: « Penes me solum R.P. Koziński et Iosephum Daubicz habeo, reliqui fratres laborant in Polonia dispersi, attamen cum fructu, nam non erat nobis permissum in communis laborare. Causa persecutionis meae fuit nomen Bennonistae. Omnes commissiones, quot habui a regimine missas, erant pro mea parte, attamen regimen semper decidebat contra me. Ultima vice, cum eram Varsaviae, dixit mihi unus ex maioribus: quid vis; si es turco, haberes protectionem, quia es, ut debes esse, sacerdos catholicus, ideo regimen est tibi contrarium; nam regimen omni conatu tendit ad schisma et hac de causa omnes bonos episcopos persequitur. Iam diu volui ad vos reverti, sed episcopus restitut mihi et timeo, quia nomen Poloni est ubique suspectum; ne ergo mihi et vobis nocerem, remansi hic. Omnia mea, quae habui, manserunt in Polonia. Deo sint laudes, nunquam enim quaesivi temporalia et hic non aliter me considero, nisi in missione, ut possim aliquid facere secundum primam vocationem meam, pro gloria Dei et salute animarum ».

Hanc epistolam P. Passerat transmisit ad RM Ripoli, qui tamen rationes allatas a P.e Podgórski minime probavit, immo eius modum agendi reprobavit; dedit tamen P.i Passerat facultatem de eo libere disponendi: « prout Tibi et Consultoribus Tuis opportunius visum fuerit ... Nosti, quod parochum agit... Vides quod omnes currunt et forsitan extra viam currunt, quia sui iuris sunt ». Excusationes eius reicit: « quia factus est mancipium episcopi... secunda excusatio illusoria potius esse videtur, vel saltem nullius momenti », id est ex conditionibus politicis deprompta (96). P. Passerat respondens RM Ripoli die 10 V 36, eum defendere conatur: « R.P. Podgórski vir timoratus, sincerus, vocationis suae et Congregationis amantissimus est et certe unus de optimis. Quod dicit se noluisse ad nos Viennam venire, ne nobis noceret, verissimum est, eadem enim admisit, quae Adm.R.P. Hofbauer et eandem vexationem experiretur, quod P. Sabelli potest explicare. Hinc Viennam illum vocare non possum; aliis quidem eadem sors timenda non esset. Sed possum eum mittere in Belgium seu forsitan in Bulgaria... In Polonia sunt Patres nostri quasi missionarii, sicut in Bulgaria et in America, ubi collegium non constituunt; licet tamen in Bulgaria et in America spes possit esse in posterum constituendi collegium, praesertim in Ameri-

(94) AG IX B 18.

(95) MH X 249-250.

(96) AG IX C 106.

ca » (97). Ad istas animadversiones Vicarii generalis RM Ripoli respondit non quidem revocando priorem decisionem, sed aliquatenus mitigando teneorem sui praescripti: « Vix aliter disponere valeo, nisi ut iam Rev. Tua antecedenter disponi proposuerit, eo quod angustiae temporum et circumstan-tiarum, in quibus versamini nil aliud permittant, sed si aetatem huius Patris provectam considerare velis, nescio, utrum in Bulgariae mittendum existi-mabis. In Belgium potius mitti posset, ut magister saltem novitiorum ibidem agat vices; consultius vero mihi videtur fore, ut ipsem domum sibi seligeret et tunc ad eam, quam magis exantlatis viribus suis accomodataam iudicaverit perget » (98).

Sicut ex epistola supra memorata patet, P. Podgórski licet ex Piotrkowice expulsus, tamen fidelis mansit speciali suae vocationi, quam sicuti carissi-mam hereditatem a S. Clemente commissam sibi considerabat, continuandi nempe missionem alfonsianam inter Polonus. Hunc in finem ad episcopum Cracoviensem confugit, ut ab ipso domum ad colligendos fratres dispersos obtineret. Quod et consecutus est. Nam episcopus Skórkowski dedit ei pa-roeciam Kościelec, cuius parochus institutus est an. 1834, ibique ad se vo-cavit P.em Koziński et Fratrem Daubicz. Post duos annos commissa ipsi est administratio alterius paroeciae Nowa Góra. Sed interim conditio po-litica adhuc in peius mutata est. Etenim gubernium russicum S. Sedem com-pulit, ut amoveret episcopum Skórkowski tantopere P.i Podgórski addictum. Zelans antistes, oboediens voluntati Summi Pontificis, episcopatu renun-tiavit, urbem Kraków reliquit et tamquam exul ex patria vita decessit in Oppawa in Moravia. Sic P. Podgórski optimo suo protectore atque amico orbatus est.

Praeterea an. 1836 Respublica Cracoviensis occupata est a militibus non tantum russicis, sed etiam borussicis ac austriacis. Incepit crudelissima per-secutio Polonorum: incarcerations, terror, supplicia eiusmodi, ut Gallia ac Anglia via diplomatica intervenire sui muneres esse censuerint. Demum, solummodo post 5 martyrii annos, populus Reipublicae levius respirare potuit. Quod quidem p[ro]ae oculis habendum est, ut modus sese gerendi P.is Podgórski in recta luce ponatur. Hoc etenim tempore turbulentissimo neque P.i Podgórski possibile erat e territorio egredi, neque alias patres ex ditione russica ad se vocare; ipse denique an. 1843 suum syngraphum emigrationis ex ditione russica obtinere potuit. Eodem anno reliquit eum P. Koziński, qui ob infirmitatem atque provectam aetatem in domo sacerdotum senescentium in Kraków ad S. Marci collocari debuit, ubi 3 V 1859 vita decessit. Paulo post, an. 1846, insurrectio ab occupantibus in Respublica Cracoviensi provocata finem tragicum signavit ultimae liberae particulae Poloniae, sic dictae Reipublicae Cracoviensis, quae cruore civium inundata Imperio Austria-co incorporata est.

Omnia tamen, quae P. Podgórski per 53 annos sui sacerdotii perpessus est, continuae scilicet vexationes atque persecutio[n]es, indicibiles amaritu-

(97) MH X 251.

(98) AG IX C 107.

dines, quas expertus est contemplando alios patientes ac nationem suam agonizantem, invictum animum ac zelum sanctum vincere non potuerunt. Usque ad extremum vitae limitem cerneret in corde suo aestuantem eundem zelum, quo iam iuvenis in Warszawa excellebat et quem postea in Piotrkowice in Missionibus praedicatis et in concionibus egregie exercuit. Documenta huius zeli viva traditione transmissa collecta in libro supra citato P. is Łubieński inveniri possunt. Zelus eius non circumscribebatur terminis paroeciae, in qua ceteroquin quasi propheta et sanctus colebatur, tamquam pastor animarum, qualem paroecia nunquam antea viderat. Annum agens 65 suaet aetatis occasione sollempnis Beatificationis B. Bronislaoe, O. S. Norberti, Missionem praedicavit in paroecia huic ordini incorporata, quae dicitur «na Zwierzyńcu» in suburbio Kraków et quidem sub divo, quia ecclesia tantam capere multitudinem fidelium non poterat. Quater per diem pulpiti ascendens verbum Dei praedicans, suo zelo corda huius conventus et parochianorum tantopere sibi devinxit, ut praemortuo parocho huius paroeciae ipse tamquam successor electus ac expeditus fuerit. Quo factum est, ut P. Podgórski an. 1844 paroeciae in Nowa Góra renuntiarit et in Kraków se transtulerit. Ibi apud Moniales S. Norberti ultimos 3 annos suaet vitae transegit. Chronica Monialium S. Norberti nec non viva traditio persistens, quam P. Łubieński colligere potuit, testatur, quam sanctam, mortificationi ac orationi consecratam vitam P. Podgórski ultimis annis gesserit et quantopere tam spiritui quam exercitiis alfonsianis fidelis fuerit. Paupertas eius cellae ipsarum Monialium admirationem movebat. Mortuus est die 6 III 1847, sepultusque est in coemeterio Monialium S. Norberti (99). Attamen suffragia, quae Congregatio pro defunctis fratribus ex Constitutionum praescripto persolvere solet, ipsi sunt denegata.

Quod P. Podgórski usque ad finem vitae sese consideraverit ut sodalem Congregationis SS.mi Redemptoris, et quod altera ex parte non sit unquam formaliter expulsus ex Congregatione, huius rei prostant valida argumenta. Ipsa epistola P. is Michalek scripta ad P. em Sabelli, in qua severe carpit P. em Podgórski ob eius infidelitatem erga Congregationem, probat eum usque ad mortem votis ligatum sese sensisse (100). Quae autem a P. e Michalek in epistula ad P. em Sabelli diei 7 V 1847 contra P. em Podgórski allegantur non omnino veritati respondent: 1. « Seit dem Jahre 1824 lebte P. Podgórski in dem Freistaate Krakau » - advenit hic demum 1834; 2. « Seit dieser Zeit lud unser P. Generalvicar ihn immer ein, sich mit der Kongregation wieder zu vereinigen, indem es für ihn keine Aussicht hatte in Polen die Kongreg. zu fundieren » - ex supra citata epistola P. is Passerat contrarium probatur; 3. « Was uns aber am meisten befreindet hat, ist daß er in seinem Testament von der Kongregation keine Meldung tat, und als Pfarrer einen Weltpriester zum Universalerben gesetzt hat » - sed haec omnia sat superque ex condicione politica explicantur. Ceterum rem familiarem non possidebat, quam testamento legare posset. Quoad relationem Prioris O. Ca-

(99) Cfr ŁUBIEŃSKI, o. c. 250-251.

(100) MH XIV 170.

maldulensium Cracoviensium, qui post mortem P.i Podgórski in urbem Wien venit et forsitan nuntium eius mortis attulit, quod P. Podgórski cogitabat a Rectore Maiore dispensationem a votis petere, non liquet quo tempore et in quibus circumstantiis id dixerit. Probat vero eum ligamen votorum agnoscisse.

Ipse P. Passerat videtur postea remorsus conscientiae habuisse ex eo quod P.i Podgórski suffragia post eius mortem dehegasset, quia scripsit ex Bruges die 30 XI 1848 ad P.em Bruchmann, superiorem Provinciae Austriacae: « Le P. Koziński meritera les suffrages que je n'ai pas ordonné pour le P. Podgórski, parce qu'il a toujours retardé de se rendre à mon invitation de rentrer dans la Congrégation. Ce qu'il me disait avoir toujours désiré. Je sais qu'il le désirait et sincèrement à l'heure de sa mort. Réparez cette faute si ce n'est pas un scrupule de ma part » (101). P. Passerat non dat rationem cur aliter disposuerit de P.e Koziński, qui adhuc vixit extra Congregationem per 10 annos et certe, restituta post revolutionem pace, facilius in domum Congregationis regredi potuisset.

CONCLUSIO

Hisce explicit historia Congregationis SS.mi Redemptoris in Polonia in prima eius periodo. Consilium transplantandi opus S. Alfonsi extra Italiam, in septentrionem Europae a S. Clemente primum conceptum et in domo Varsaviensi primum ad effectum deductum est, deinde post suppressionem illius domus a P.e Podgórski susceptum ac per totam vitam usque ad ultimum halitum mira cum tenacitate ac fidelitate cultum ac conservatum. Haec idea totam eius activitatem inspirabat ac animabat atque in continuis pugnis ac doloribus vexationibusque mirabiliter confortabat ac sustinebat.

Quando die 6 XI 1830 decreto gubernii clausum est seminarium ac dimittendi erant clerici, ultima exhortatio, quam dimittens eos ex Piotrkowice tamquam viaticum in cordibus impressam tradere intendit, fuit explicatio verborum psalmi 126,6: « Euntes eunt et plorant, semen spargendum portantes - Venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos ». Veritatem primae partis expertus est cum sodalibus suis, impletam spem alterius partis non est in vita sua assecutus. Sed illa particula hereditatis S. Clementis, tamquam granum frumenti seminatum in terra polonica, morte P.i Podgórski non omnino perijit. Nam post unum annum a morte ultimi sodalis eius familiae Piotrkowicensis, P.i Iosephi Zajdler, opus inchoatum a S. Clemente in Warszawa, fundatione domus in Mościska anno 1883 denuo restauratum est. Ex hac enim domo excrevit Provincia Polonica, quae non obstantibus tot impedimentis et persecutionibus iam suum quinquagesimum annum vitae attingit. Secundus fundator huius provinciae considerari potest P. Bernardus Łubieński, qui huic missione totam suam vitam consecravit.

Sed meritum debetur Rectori Maiori Mauron et Superiori Provinciae Austriae, qui hoc intentum ad effectum deduxerunt.

Providentia Dei accidit ut in 150° anniversario ab expulsione Redemptistarum ex Warszawa, die 22 VI 1958, ecclesia S. Bennonis, per 150 annos derelicta ac ultimo bello penitus destruta, nunc refecta sollemini consecratione ab Em.mo Primate Poloniae cultui divino restituta est, ac eodem anno in sanctuario olim a Bennonitis custodito in Piotrkowice miraculosa effigies Beatissimae Virginis magna cum festivitate ab Exc.mo Ordinario corona decorata est, dum successor S. Clementis, Rector Varsaviensis, sermone festivo misericordiam et potentiam coelestis nostrae Advocatae celebravit.